



1665.

1. Boederus, Joh. Henr.: De formula pacis Antiocho
& Romanis datae.
2. Erhardt, Henricus Wilhelmus: De executoribus testamenti
forum.
3. Golius, Johannes Carolus: De juribus honestatis
4. Isell, Jacobus Bernhardus: De virginitate carum
jure.
5. Hausmann, Georgius Christophorus: Feudarcha resti-
tutus seu ad l. un. Cod. de Feudarchis
6. Holthausius, Johannes: De mixto et mixto imperio
7. Fencke, Eilardus: De venditione per avertionem
jusque opposito.
8. Höverorn, Johannes: Theses on jure naturali,
gentium, civili, canonico, feudali, Saxonicis
et Camerali desumptae.
9. Lanchisch, Erenfried, a: Disputatio inaug. . . . ad
20 l. de nuptiis. 2 Graupl.

1665

10. Maurer, Hieronymus: De eo, quod inter socios
justum est.
11. Rebharius, Thomas: De origine juris.
12. Rebharius, Johannes: De jure sepulchrorum.
13. Sachsens, Johann Melchior: De pupillo infante
majore.
4. Scherzer, Christophorus: De indulgentia
5. Wesiner, Philippus Albertus: Analysis l. cum pretorem
36 §. sunt. ex circumstantiis.
6. Wolff, Johann Georg: Differentiae juris civilis et
feudalis

1666

- Deckherr, Fredericus: De nullitate sententiae
- Deckherr, Fredericus: De sectis seu diversis
rum jurisconsultorum familiaris

1666.

3. Fabricius, Philippus Martius: De anagyriacae
exceptione s. non numeratae pecuniae
4. Felzer, Magnus: De jure comensorum.
5. Glorin, P. B.: De jure vendendi principum imperii
6. Heudorff, Georg Friedrich, vna: De jure expectati-
vae . . . 2 exempl.
7. Keck, Julius: De exceptione competentiae
8. Prangenhoff, Johannes Fridericus: De citatione judiciali
9. Rehharius, Johannes: De jure reversionis adversus
injurias verbales.
10. Rehharius, Johannes: De personis, quae conven-
tum praestare nequeunt.
11. Retberg, Johann Heinrich: De circumscriptione negotii
kiva.
12. Selgmann, Rudolphus: De bancaruptis tribus.

1666.

10 34. 26 Paul, Magnus: De scientia ejusque affectu
juris 2 tract. 1666 et 1667.

11 14. Stocker, Gerardus von: Veritate ex jure usucap-
tionum

13 15. Stösser, Gulericus: De in integrum restitutionibus

16 Stösser, Gulericus: De jure favorabili

17 17. Witzinger, Witzicus Julichensis: De jure in re speciali,
quod dominium dicitur

[Faint, illegible handwritten text on a blank page]



13

11

15

16

17



307.

3

11

15

16

17

18



6 QUOD DEUS POTENTIA MAXIMUS, BONITATE
OPTIMUS BENE VERTAT.

4.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
JURA HONESTATIS
EXHIBENS,

1665,3.

Quam

DECRETO ET AUTHORITYTE
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AM-
PLISSIMI ICTORUM COLLEGII, IN
INCLYTA UNIVERSITATE
PATRIA

Pro

*Summis in utroque Jure Honoribus & Privile-
gijs rite consequendis.*

Publico & Solenni Examini subjicit


JOHANNES CAROLUS GOLIUS,
Argentoratensis.

Ad diem ¹⁸ 27. Mens. Decembr. ^{Jan.}



ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI

ANNO M. DC. LXV.



17 10. Berlin

P 513





Amplissimo

Liberalis, Pij, Benefici Legati

SCHENCKBECHERIANI

ASSESSORUM COLLEGIO,

DN. EPORO.

DNN. DIRECTORIBUS.

Cæterisque Dnn. Curatoribus & Executoribus

VIRIS

Nobilitate, Prudentia, Experientia, Consiliis, Re-
verenda Dignitate, Munerum Meritorumque
Autoritate, Rerum Gerendarum Dexteritate
Insignibus, Undiquaque Celeberrimis,
Clarissimis,

*Dnn. Patronis Gratosissimis, Evergetis Libera-
lissimis omni honoris & observantia
cultu undique suspiciendis,
colendis*

Hoc Inaugurale Specimen

devote offertur

à

JOHANNE CAROLO GOLIO.

 THESIS I.

ITa Divini Numinis auxilio, ne nostris viribus confidere videamur, animitus implorato, ad propositum, quod est Honestas: De qua aliquid tractaturus, tractationem suam non incommode in duas dispescit partes, præcognitionem termini, & cognitionem rei. Cum autem præcognitio termini, sit primum intelligendi principium, per Aristot. 1. *Poster. c. 1. §. 4. & 2. Poster. 7. §. 2.* Keckermann. *in systemat. Log. pag. 208. & seq;* Ergo sit etiam nobis tractandi initium.

II. Circa præcognitionem nominis quatuor spectanda 1. unde suam originem traxerit, 2. quot verbis exprimatur, 3. quæ ex eodem fonte manaverint, & denique 4. quam varie vox usurpetur.

III. Quoad Etymologiam seu Notationem (ut qui verborum elegantiam observant, dicere amant) notandum, quod Honestas sit vox simplex, ab honore, qui est interioris illius animi nostri affectus, erga eum, quem ob virtutem, dignitatem vel alium respectum, colendum putamus, per externa quædam signa, *ei assurgendo, coram eo se, vel faciem demittendo, genua flectendo, sedenti adstando, sedem priorem concedendo, primam vocem, seu priores partes in loquendo dando, coram eo tacendo,* Petr. Ravanell. *biblioth. sacr. voc. Honor. pag. 1162.* testificatio, derivata, sic dicta, quasi honoris Status. Isidor. *lib. 10. Archidiacon. in c. 1. dist. 4.* vel quod in eâ honor consistat, & subjectum suum in honore ponat, honestum (inquit Cic.) est, quod sua vi trahit ad dignitatem & allicit: Baldus *in rubr. X. de vit. & Honest. Cleric. n. 8.* ait, quod Honestas dicatur, quasi honoris servans statum. Hæ Etymologiæ præter vocis originem, simul indicant naturam rei, unde non male Grammaticæ & Logicæ simul dici possunt.

IV. Sequitur Synonymia, quæ nobis alia vocabula in significatione cum vocabulo Honestas coincidentia (Græcis *ισοδυναμῆντα*) exhibet, quæ varia sunt: Imitemur Imperat. *in §. 11. l. de R. D. & incipiamus à vetustiori, quod est Honestitudo, ita enim Veteres pro honestas dixisse notat Accius ibi: Hor-*

rida honestitudo Europa principium primo ex loco, & in Mirmidonib. ibi: Tua honestitudo Danaos decepit diu. Secundum Synonym. est Honestum substantiv. Claudian. ad Imperat. Honor.

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,

Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Tertium est Decorum: Sic decorum, i. e. honestum, non est mulieri si non velata oret, 1. *Corinth. 11, 13.* (ad quem locum vid. *Jacob. Gothofred. tr. de Velandis Mulierib. deque Exuv. Capit. per tot*) & vers. 4. & 5. ubi vir & mulier capita sua dedecorant. i. e. dehonestant, ille, si aperto capite oret, & prophetet, ista, si aperto: 4. Decens, conveniens; Sic decens sermo, decens aspectus, qualis in Deipara fuisse prædicatur, ex illius enim, licet omnium pulcherrimæ, oculis, adeo honestatis decor enituit, ut intuentium oculis honestatem infunderet, nec sineret quenquam inhonestum quid, ad illius honestissimum cogitare aspectum. *Albert. Magn. de Laudib. B. Virgin. Petr. Canis. de Maria Virg. lib. 1. c. 13;* Sic decenter, convenienter, i. e. honeste, ambulandum, *ad Rom. 13. 13. 1. Thessal. 4. 12. Item 1. Corinth. 14. 40.* decenter, i. e. honeste, omnia in Ecclesia, & cæteribus Ecclesiasticis fieri debent: 5. Bonum, vitio oppositum, pro morali scil. bono, seu affectionum & actionum nostrarum, cum virtute congruentia, acceptum: Sic passim in Script. Sacr. jubemur bono agglutinari, bonum amare, bonum facere, bona loqui, bonum sectari. vid. *Petr. Ravanell. dict. bibliothec. sacr. voce bonum:* Et quamvis hæc phrasæ, potissimum forte, de bono spirituali, pietate, loquantur, nihil tamen impedit, eas etiam de bono morali, virtute Politica, intelligi, argumento omnium illorum locorum, quibus coram hominibus habitu & conversatione honesti esse jubemur, vid. *Paul. ad Rom. 13. ibi:* Sic, ut in die honeste ambulemus, item *ad Thessal. 4. ibi:* Et ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt. Apud profanos Scriptores hæc boni cum honesto *συνομινα* expeditior & frequentior est, adeo ut honestos *καὶ ἐξοχῶν* bonos dixerint, vid. *Cornel. Nepot. qui tradit Phocionem Atheniens. ob vitæ integritatem, cognomine Bonum appellatum fuisse. Et hæc sunt honestatis synonyma saltem frequentiora.*

V. Synonymiam excipit Paronymia, sed admodum sterilis,

rilis, vocum enim ab Honestate (quæ ipsa, si vocem spectes, est honesti paronymum, quamvis contra, si rem spectes) inflexarum perpaucæ, imò fere nullæ sunt, unicum tantummodo reperire licuit, honestamentum scil. Senec. *epist.* 67. ibi: *Nullo honestamento eget virtus, ipsa & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat.* Sed & hoc vocabulum, non tam honestatis denominativum, quam verbale à verbo honesto, are, deductum videtur. Pergamus ergo ad Homonymiam, qua etiam definitionem nominis claudemus: Honestas est variæ acceptionis, sumitur 1. generaliter, pro quolibet honoris seu honorabili Statu, qua in lata significatione, de omnibus rebus in aliquo honore & existimatione positis prædicatur; Hinc 1. bonis Autorib. nihil frequentius, quam ut honorabilibus parentibus natum, honesto loco natum dicant, Cicer. 5. *Tusculan.* 81. ibi: *quum esset bonis parentibus, atque honesto loco natus &c.* Plin. *epistol.* 159. ibi. *Inveniebantur honesto loco nati, qui peterent, cuperentque quod dari liberto, promitti servis videbant.* add. Cic. 13. *pro Muren.* Cornel. Nepos *in Eumen.* 1. 5. & *in Epaminond.* 2. 1. Sic 2. quia pulchritudo est res in existimatione posita, in tantum ut eam etiam natalium honori præponant, juxta illud Poëtæ.

*Ingenuam malo, sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est;
Extremo est ancilla loco, sed vincet utramque
Si facie nobis hæc erit ingenua.*

est, quod etiam ei, quod pulchrum est, honestas tribuatur, unde facies honesta, i. e. pulchra. Terent. *in Eunuch.* ibi: *Ducit secum una virginem dono huic, Pape, facie quam honesta.* Idem eod. paulo ante, ibi. *hem Eunuchum tibi, quam liberali facie, quam etate integra.* Th. *ita me Dii ament, honestus est,* Jung. Cornel. Nep. *in Eumen.* 11. *versic. ult. ubi honesta dignitas pro pulchritudine virili ponitur;* ita 3. etiam dicitur de divitiis, divites enim, quia vulgò hominibus in honore sunt, honestos appellari testatur Ascon. *in Verrin. tertia commentar. referente Conan, lib. 1. c. 11. n. 3.* Bartol. *in l. 8. §. 23. de transact. fac. l. 52. §. 21. ff. de furt.* ibi: *cum Titio honesto viro pecuniam credere vellem, subjicisti mihi alium Titium egenum, quasi ille esset locuples, &c.*

4. etiam tempore; Sic dies in magno honore habitus, Ciceroni in *Lentul.* honestissimus dicitur. *Post tuum* (inquit) *discessum, is dies nobis honestissimus fuit in Senatu*, hinc 5. illa phrasis, honore honestus, *Salustio in Catil.* 30. usitata, *ibi: sed quod non dignos homines honore honestos* (alii legunt *honestatos*) *videbam*. Sed hæc lata vocabuli significatio, secundum quam honestas ab aliquibus definitur honor perpetuus ad aliquem secundo populi rumore delatus, ut videre est ap. *Lact. Fir. divin. instit. lib. 3.* hujus loci non est, nec enim nobis est animus, in genere de honorabilibus rebus agendi. 2. Specialiter, pro moribus ad castitatem, modestiam, verecundiam, & gravitatem compositis, §. 3. l. l. 10. §. 1. ff. *de iustit. & iur. iunct. l. 14. 15. ff. de condit. instit. l. 3. detestib. ibi: honesta & inculpata vita.* & pass. item 1. *Timoth. 3.* 4. ubi extat vox *σεμνότης*, quam Hieronymus, *lib. 1. Dialog. advers. Pelag.* pudicitiam interpretatur, vultque hoc loc. de Episcopo dici, quod debeat habere liberos subditos *μετὰ πάσης σεμνότητος*, quia non sufficit Episcopo, propriam habere pudicitiam, nisi ea filiorum, comitum & ministrorum pudore coretur; facit ad rē illud *David. Ps. 51. ambulans in via immaculata. hic mihi ministrabit*: Inepte ergo à Pontificiis locus hic citatur ad probandum Episcopum debere esse *ἀγαμον*, vel abstinere ab uxore; ita quoque accipitur *Tit. 2. v. 3.* ubi dicitur *anus debere esse καλοδιδασκόμενας*, i. e. (ut vertit Betza) *honestatis magistras, vulgata habet bene docentes*, quod tamen accipe de doctrina & admonitione privata, ut enim publice præsideat, doceat, & concionetur, est contra muliebrem honestatem, unde *Concil. Carthagen. 4. c. 99.* ita statuitur: *Mulieres quamvis docta & sancta, viros in conventu docere non præsumat, add. c. 29. dist. 23. c. mulierem, 17. 33. 5. convenit Paul. 1. Corinth. 14. 35. dicens: turpe est mulieri loqui*: Ad hanc specialem significationem, quæ hujus loci est, forte non adeo incommode referimus illud *Quintilian. lib. 2. cap. 4. 27.* *Nos iustum, pium, religiosum, ceteraque his similia honesto complectimur.* Hæc ad præcognitionem termini.

VI. Nunc ad cognitionem Rei, quam cognoscamus secundum partem generalem, & specialem, ad illam, definitionem cum divisione referimus, ad istam, specialia honestissimi nostri subjecti jura, seu privilegia.

VII. Honestatis, Honesti, variæ sunt descriptiones. Calepin. in *Lexic. hac voc.* Honestum, virtutem, probitatemque significat, qua cavetur ne quid indecore, effœminate, libidinosè, turpiter fiat, cogiteturve. Ciceroni 1. *Off. pag. m. 13.* est modus in dictis factisque, ad hanc proxime accedit Grotius, qui de *Iure Bell. & Pac. lib. 1. c. 2. §. 1. vers. At post hac cognita &c.* honestum definire videtur, quod sit rerum cum ipsa ratione convenientia: Simon Simon. *lib. 1. comment. in Ethic. Aristot. c. 8. pag. mihi 141.* ita: Honestas est id omne, quod cum ratione congruit, & *pag. seq.* ita: Honestas est mirabilis quædam venustas, ex affectionibus nostris rite compositis, existens. Alius ita: Honestas est morum castitas, id est, sanctitas & disciplina verbo Dei consentiens, quæ in rebus externis & publicis legibus sancita est, & in omni ordinum genere apparet. Benedict. Ægid. *tract. de Iure & Privileg. Honestat. init. n. 2.* ita: Honestas est virtus moralis, libidini & iis quæ ad eam quoquo modo pertinent, opposita; rursus *in fin. dict. num. 2.* ita: Honestas est virtus castitatis tam absolutæ, quam conjugalis, externis moribus probata, *add. num. 3.* ubi explicatio: Has descriptiones suis relinquimus Autoribus. Nos qui Honestatem, non ut Ethicus, sed ut Ictus consideramus, eam, ad nostrum considerandi modum, definimus, quod sit Præceptum juris honestam vitam imperans, & ad bonos mores obligans. §. 3. *Inst. de Iustit. & Iur. l. 10. §. 1. ff. eod. l. 14. l. 15. ff. de condit. instit.* Leges enim id agunt, ut quod per se laudabile tantum erat, etiam deberi incipiat. Grot. loco mox citand.

VIII. Nunc ad Honesti divisionem, quæ duplex, Generis in Species, Totius in partes: Illam suppeditare videtur Grotius de *Iur. Bell. & Pac. lib. 1. c. 2. §. 1.* ubi ita: Honestum pro materiæ diversitate, modò (ut ita dicam) in puncto consistit, ut si vel minimum inde abeas, ad vitium deflectas; modo liberius habet spatium, ita ut & fieri laudabiliter, & sine turpitudine omitti, aut aliter fieri possit: Et in hoc posteriori (addit) genere, maxime occupari solent leges, tum divinæ, tum humanæ, id agendo, ut, quod per se laudabile tantum erat, etiam deberi incipiat. Hanc Cicero *lib. 1. Offic. pag. m. 16.* ubi Honestum in quatuor partes (ex quibus totum conflatur) dividit

vidit prudentiam sc. justitiam fortitudinem & temperantiam.
add. not. Petr. Mars. ad dict. loc. pr. Stoici honestum dividunt
 in perfectum & secundum, (terminis his utitur Cic. 3. *Offic. c. 1.*
 ubi ei cum Panætio Stoico res est, pag. m. 122.) Perfectum ho-
 nestum dicunt officium rectum, i. e. perfectum & absolutum,
 sive, ut illi loquuntur, quod omnes numeros habet, & hoc in
 solis sapientibus est. Secundum honestum vocant officia me-
 dia, de quibus sc. cur facta sint, ratio probabilis reddi potest.
 Cicet. 1. *Offic. pag. m. 10.* in quibus etiam homo non perfectus
 versatur, à Ciceron. *loc. supr. citat.* quia non sapientum modò
 propria sunt, sed late patent, omni hominum generi commu-
 nia dicta, qualia sunt, de quibus Is (ut testatur dict. loc.) in suis
Offic. libris agit: hæc obiter. Nos honestum dividimus in Na-
 turale, quod à natura est, seu quod immotum illud honesto-
 rum & turpium discrimen homini ingenitum, & divinitus in-
 ditum (vid. Paul. ad Rom. 2. *vers. 15.*) simpliciter, absque dis-
 cursu & ratiocinatione, omnibus & singulis dictat homini-
 bus, vid. Vir Magnus Dn. D. Rebhan in *Hodog. Iur. pag. 46.*
n. 2. Vir Celeberrimus Dn. D. Bicc. *Præloq. Aur. 9. 34. num. 1.*
jungat. Senec. *Epistol. 121. ubi tradit, quomodo ad nos boni honesti-*
que notitia pervenerit, veluti parentum personam sancte ha-
bendam esse. l. 2. de Iust. & Iur. l. 1. pr. §. 1. junct. l. 9. de obseq.
parentib. & patron. præstant. l. 2. C. de in jus voc. cum similib. ab
eorum, inter quos parentelæ ac filiationis jus simul intercedit
& concurrit, complexu, vel maxime abstinendum esse: vid.
Nov. 12. cap. 1. ubi ascendentes vel descendentes amore, de
quo hîc, amare, est ultra terminum nobis à natura traditum
amare, unde paulo ante, amor hic, talia concupiscere dicitur,
qualia plurima etiam irrationabilia amovent animalia; l. 14.
§. 2. de R. N. ubi res hæc contra pudorem naturalem dicitur;
l. 39. §. 1. l. 8. ff. eod. ubi jus talium personarum conjunctio-
nem prohibens, non legibus, sed moribus, naturalibus scil.
(qui vocabulo bonorum morum Legi oppositorum semper
intelliguntur, ut ex inductione omnium legum de bonis mori-
bus, his in terminis loquentium patet, videantur interim l. 6. C.
de pact. ibi contra Leges, vel bonos mores. l. 112. §. 3. de Leg. 1.
ibi contra jus, vel bonos mores, &c.) introductum dicitur; *add.*
 omnino

omnino Grot. de I. B. & P. lib. 2. cap. 5. §. 12. cum seqq. D. Thom. 2. dist. 3. quest. 154. art. 9. & (ut ita dicam) Positivum, quod ab opinione hominum pendet, seu quod peculiare cujusque populi mores & instituta decorum & conveniens putant, probant: Et quia duo hæc honesta, à se invicem discrepant.

1. CAUSA EFFICIENTE, ut jam dictum. 2. MATERIA. Illud enim constat & versatur circa bonos mores naturales, hoc vero, circa bonos mores civiles. 3. FORMA. 1. Illud est universalissimum, apud omnes rationales constans, istud vero specialissimum, apud solos cives obtinens. 2. Illud est perpetuum & immutabile, hoc, temporale & maxime seu in totum mutabile. vid. §. 11. Inst. de I. N. G. & C. c. 1. dist. 1. Ad hanc Civilis Honesti varietatem pertinet, quod Cornel. Nepos de diversis populorum moribus præfatur, ubi §. 3. & seqq. ita: Non eadem omnibus sunt honesta & turpia, sed omnia majorum institutis judicantur. Laudi in Græcia ducitur adolescentulis, quam plurimos habere amatores. Nulla Lacedæmoni tam nobilis est vidua, quæ non ad scenam eat (quid hinc hoc sibi velit. vid. ap. Amplifs. Dn. Bæclerum, Virum undique Celeberrimum, in not. ad h. l.) mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari, in scenam vero prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, partim ab honestate remota, ponuntur. Contra ea pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur, quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium, aut cujus materfam, non primum locum tenet adium, atque in celebritate versatur? quod multo fit aliter in Græcia, nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum, neque sedet, nisi in interiore parte adium, quæ gynæconitis appellatur, quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus: Hactenus dict. Aut. dict. loco. 4. FINE; Naturale honestum, potissimum respicit forum interius, ne homo quid agat, aut faciat, quo internum illum delictorum accusatorem, testem, judicem, carnificem, conscientiam, lædat. facit l. 15. de condit. instit. Wesenb. paratitl. tit. de Iust. & Iur. n. 15. vers. pen. ita: Naturalis notitiæ, atque ita etiam naturalis honesti, finis est, ut sit testimonium de DEO, judicium conscientie adversus peccatum, & de futuro

B

judi.

judicio omnes admoneat &c. Civile verò honestum præcipue intendit, hominem, utpote civili vitæ natum, ad Leges, moresque patrios adaptare, ut & is, civilis societatis harmoniam, suo quasi concentu & attemperatione juvet, atque perficiat: hinc s. differunt quoque EFFECTU, illud eo ipso, quo cavet, ne quid contra pietatem, existimationem, verecundiam, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiat, facit bonum virum; hoc verò bonum civem. Ex his facile est honestum à suis dividere causis.

IX. Et quia *in præced. Thes.* naturalis honesti mentionem fecimus, non incommode hîc expeditur, AN SIT NATURALE HONESTUM? Cæterum ne cum turba nobis res sit (imitemur hîc Grotium in Προλεγόμ. §. 1. de Jur. B. & P. & absit conatui invidia) demus contrariæ sententiæ advocatum; Et quem potius, quam illum voluptatis magistrum, Epicurum. Is enim cum rei hujus, an scil. à natura aliquod honestum sit, oppugnationem suscepisset, nullum invenit argumentum validius isto: apud omnes non idem honestum esse: sed alios aliud probare, veluti Garamantes, nuptiarum exortes, passim cum fœminis degunt. Plin. lib. 5. cap. 8. Nomades communes habuerunt uxores & liberos. Cicer. lib. 1. de LL. Derbicibus & Massagetis, parentes, cognatos, propinquos, & quoscunque senio confectos necare, necatos immaniter, prodigioseque devorare fas est, existimantibus, rectius à se potius, quam à vermibus, absorberi. Strab. lib. Geographic. Alex. Neapol. lib. Genial. dier. 3. cap. 2. Denique apud Persas jus fasque est (res horrenda) matribus filiabusque misceri, teste Catull.

Nascetur Magus ex Gello matrisque nefando

Conjugio. & discat Persicum Haruspicium.

clarius & uberius Ovidius lib. 10. Metamorph. ubi Myrrham, dum patris concubitum appeteret, inducit ita plorantem.

————— *Et quod natura remittit*

Invida jura negant: gentes tamen esse feruntur,

In quibus & nato genitrix, & nata parenti

lungitur, & pietas geminato crescit amore;

cum tamen quod à natura proficiscitur, constans sit, & æternum,

II.

num, semperque idem, & ubique idem, ut exemplo ignis, qui apud omnes peræque populos, & omni tempore calidus est, & urit, itemque rerum bene olentium odoris, qui ab omni ævo, gratus cunctis fuit mortalibus, constat. Sed hæc, quantumvis speciosa, nobis tamen non adeo plausibilia videntur, ut à sententia eorum, qui honestum aliquod, non ab opinione hominum, sed à naturæ decreto esse, rectissime censuerunt. vid. Vir Magnific. Dn. D. Rebhan. *loc. supr. laudat. Wesenb. παρατιτλ. de Iust. & Iur. n. 15. per tot. dimoveamur.* Cui rei satis argumenti præstat 1. Quod prohabile non sit, liberalissimam illam matrem, naturam, homini, animalium præstantissimo, certam regulam, qua liberas, & proinde incertas & indeterminatas suas operationes, ne pietatem, aut conscientiam lædant, dirigat, non indidisse. 2. Quod homines etiam literarum expertes, nullis edocti artibus, honesto illi, quod *preced. θ.* Naturale diximus, pareant, certe non alia ratione, quam quod ad illud non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sint, add. *Wesenb. parat. de Iust. & Iur. n. XV. vers. 1.* ubi ita: immotum honestorum & turpium discrimen una nobiscum nascitur, & nullo docente in mentibus singulorum, velut oculus quidam veri germanique juris elucet, scriptumque est (ut inquit D. Apost. *ad Rom. 2. vers. 15.*) in cordibus nostris, *jung. vers. 5. dict. n.* 3. Quod simplex illa honesti & turpis intelligentia nihil aliud sit, quam recta ratio, honesta præcipiens & vetans contraria, hanc autem à natura esse nemo negaverit, cui enim rationem natura dedit, eidem (inquit Cicer.) & rectam rationem contulit. Ergo & illam inde esse, dubitandum non est.

X. Nunc ad partem specialem, quæ *supr. θ. 6.* specialia Honestatis jura seu privilegia promissit: Esset ut in his recensendis, generale illud illius Divi præceptum: omnia in vobis fiant decenter & ordine, servaretur, verum cum ingenii tenuitas, & rei hinc inde sparsæ perplexitas, illam *ἑυταξίαν* impediant, ideo nobis ap. B. L. facilem promittimus veniam, si quandam commiserimus *ἀταξίαν*: Cum autem honestatis jura pertineant vel ad personas, vel ad res, vel ad actiones. *arg. §. ult. 1. de jur. not. Gent. & C. l. 1. 2. ff. de stat. hom. & à Personarum*

jure incipiendum sit *juxta jura citat.* ideo & nos inde incipiamus.

XI. Personæ, circa quas Honestatis jura versantur, sunt masculi & fœminæ, quia autem notant: *gl. ad l. 43. §. 12. de Rit. Nupt.* in fœminis major requiritur honestas, quam in masculis; sed tamen, ut notanter *d. l. gloss. addit*, secundum mores hominum, verè enim secus esse, docet *c. nemo blandiatur. 4. pr. ibi. nec viro licet, quod mulieri non licet: Eadem à viro, quæ ab uxore, debetur castimonia. cans. 32. quæst. 4.* ideo à muliebris honestatis juribus ordimur.

XII. Hæc dividimus quod vel sint totius sexus, vel certi mulierum status, quæ sexus sunt, ea omnium sub sexu comprehensarum, communia sunt quæ certi Status sunt, ea, earum quæ sub unoquoque Statu continentur, specialia, peculiariora sunt: Ad primam classem referimus in specie, quod fœminini sexus personæ. I. Non possint esse judices. *l. 12. §. 2. de judic. l. 2. de R. I. c. 17. c. 33. q. 5. Wesenb. cap. 27. de judic. n. X. in fin. C. I. A. eod. tit. 0. 40.* ne scil. in matronalis pudoris contumeliam irreverenter irruant, dum judiciis & proinde cœtibus virorum intersint. *l. 21. C. de procur. l. 2. §. 1. C. de his qui ven. atat. c. 2. pr. de judic. in 6.* II. Arbitrices *l. ult. C. de recept. arbitr. (vid. tn. cap. 4. in med. X. de arbitr.) C. I. A. lib. 4. tit. 8. 0. 6. n. 3. Blanc. tract. de compromiss. quæst. 2. n. 38.* in tantum ut compromissum in mulierem etiam sub juramento factum, compromittentes non obliget, non tantum in foro civili. *per d. l. ult. junct. l. 5. §. 1. C. de LL. l. 7. §. 16. de pact.* Verum etiam Canonico, quo quoque juramentum hoc, tanquam in bonos mores naturales, ad quos matronalis pudicitia & honestas pertinet, peccans, obligatorium non est *per reg. 58. de R. I. in 6.*
AN ETIAM PROHIBEANTVR ESSE ARBITRATRICES? Negatur, quia munus hoc non est publicum, sed extrajudiciale & privatum, cujus modi à mulieribus recte obiri docet *Negotiorum Gestio. vid. l. 3. §. 1. junct. l. 31. §. 6. de N. G.* Ita intrepide tenent *Cyn. & Dd. in d. l. ult. Abb. in d. c. 4. notab. 3. Dec. in l. 2. n. 17. de R. I. Specul. in rit. de Arbitr. §. potest. pr. III. Pro aliis postulare. l. 2. de R. I. l. 18. C. de procur. l. 31. §. 6. de Negot. Gest. l. 1. §. 5. de postul. ubi scripta prohibitionis ratio, ne sc.*

ne se contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant, ne virilibus fungantur officiis, bene convenit cum illo Paul. 1. Corinth. 14. 34. turpe est mulieri in virorum coetu verba facere: Unde & Telemachus matrem concione arcet, inquit, orationem viris curæ esse oportere. add. Wesenb. παρὰ. de postul. n. 4. Dec. in d. l. 2. n. 11. C. I. A. de postul. θ. 8. IV. Procurare in iudicio. l. 2. de R. 1. ibique Dec. n. 16. l. 54. ff. & l. 28. C. de Procur. Wes. παρ. de Procur. n. 4. vers. Fœmina. C. I. A. tit. eod. θ. 18. n. 1. V. Juramenti præstandi, testimonii ferendi causa, personaliter in iudicium venire coguntur, secund. gloss. & Dd. in l. 15. de iurejur. Nov. 124. c. 1. vers. Si vero mulier & c. c. 2. de iudic. in 6. in tantum, ut si forte talis occurrerit casus, quo, jure prohibente, receptio testium, alteri committi non possit, iudex, si modo id, per ipsum propter personæ illius qualitatem fieri deceat, vel possit, personaliter mulierem accedere debeat. d. c. 2. in med. Ad hoc personaliter in iudicio non comparendi privilegium, mulieribus honestatis causa specialiter indultum. VI Illud quoque pertinet, quod etiam in causis criminalibus per procuratorem iudicio adesse possint, ut inter alia honestatis favore illis concessa tradit Anton. Surgens: de Neapol. illustr. lib. 1. c. 9. n. 19.

XIII. SEPTIMO ad sexus muliebris honestatem quoque spectat, quod mulieres neque pro causis civilibus, puta pecuniariis debitis, sive privatis, sive etiam fiscalibus, neque criminalibus, quolibet modo in carcerem mitti, includi, aut à viris custodiri debeant, ut habetur in Auth. Hodie novo iure. C. de custod. reor. l. 1. cum sua Auth. C. de Advocat. diversor. iudic. Nov. 134. c. 9. ubi in fin. ratio: Ut non per huiusmodi occasiones inveniantur circa castitatem injuriatæ: Hæc tamen carceris exemptio, hodie adempta est mulieribus in gravioribus delictis, in quibus, ut notat Dn. Bicc. quondam in Inclyta hac Universitate Antecessor Senior, Vir, de quo Magni Viri iudicant, quod facilius sit. Eum elogio indicare, quam prædicatione extollere, (vid. Bæcler. simili iudicio dignissimus, in Elogio nominati Viri, Nucleo Iuris præfixo) in Aur. sect. 5. θ. 184. (fff. n. 4.) & in C. I. A. Eucleat. tit. De Custod. & Exhibit. Reor. θ. 3. num. 4. mulieres etiam honestæ, non in monasterio,

juxta jura citata, sed publico carcere includuntur, add. Clar. cum ab eo citatis *in pract. qq. 28. n. 3. Baet. tr. de inope debitore. cap. 15. n. 7.* ubi ita: mulieres hodie etiam pro pecuniario debito ex criminali causa descendente in carcerem à virorum carceribus separatim detruduntur: Et quia universa & singula in specie recensere, nimis otiosum est, generalem subjiciamus (imitantes & hinc *Jctum in l. 27. §. 16. ad L. Aquil.*) regulam, quæ specialia (quæ vid. ap. Dec. & alios *in l. 2. de R. I. Anton. Surgens. d. l. 1. c. 9.*) complectatur, quæ hæc est: in genere omnia illa, à quibus fœminas, ob morum honestatem (quæ illas maxime commendat. *l. 2. §. 1. C. de his qui ven. atat. adeo, ut nec aurum, nec smaragdus, nec vestimentorum nitor eas ita ornent, ut ornat morū honestas, ut ex Plutarch. tet. l. ult. & aliis tradit Tiraq. de LL. connub. lib. 3. c. 9.*) abstinere oportet. *C. de recept. arbitr. omnibus mulieribus citra virginitatis, viduitatis, aut conjugalis Status distinctionem honestatis jure interdicta sunt. d. l. ult.* Et quia hæc honestatis jura numero plura, bonis nature moribus introducta sunt, cum, quod tendant ad conservationem matronalis pudicitie, quam ad bonos mores naturales pertinere in dubiū est, tum *arg. d. l. ult.* ubi ipsa natura mulieres, à rebus, quæ contra vel ultra earum sexum sunt, abstinere jubet; inde bene inferitur, ea, nec contraria consuetudine, nec contraria lege, quæ generaliter quælibet fœmina officiis supra interdictis fungi possit, tolli posse, quamvis iisdem interdū derogari posse non negemus, qualis derogatio, est illa exceptio, quam *Dd. ad l. 12. §. 2. de judic. & quod. θ. preced. n. 1. dictum est,* notant, quod sc. Princeps certam aliquam mulierem, in qua, ob personæ dignitatem, ætatis & judicii maturitatem. morum honestatem, matronalis pudicitia se virorum conventibus exhibens, verisimiliter nullum subit periculum, judicandi privilegio honorare possit. *C. I. A. tit. de judic. θ. 40. Dec. in l. 2. n. 5. de R. I. Glos. in cap. dilect. 4. verb. remota X. de arbitr. Bartol. in l. un. n. 10. C. de mulierib. in quo loc. mun. sex. 10. 62. Blanc. de compromiss. quest. 2. n. 38. Barbol. in l. 12. §. 2. de judic. n. 259.*
HÆC AD CLASSEM PRIMAM.

XIV. Sequitur jam ALTERA CLASSIS, ea muliebris honestatis jura exhibens, quæ cuique earum Statui singularia,

ria, peculiaria sunt: Mulieres, circa quas honestatis jura versantur, in triplici sunt Statu, Virginitatis, viduitatis, & conjugii. Et quia primus, præsertim si ex voto est, cæteris excellentior est, quod præter *c. nuptiarum. 41. vers. Sed in virginali: caus. 27. q. 1. c. nuptia. 12. pr. caus. 32. q. 1. Nov. 14. præfat. §. 1. pr.* probat triplex ille Evangelici seminis, quod in bonam terram cecidit, fructus, trigessimus, sexagesimus, centesimus; inter alias enim expositiones una ac frequens est, (præsertim ap. Pontific. Interp.) quod trigessimus tribuatur conjugatis, sexagesimus viduis, centesimus, ut amplissimus, virginibus, add. Chassan. *in catalog. glor. mund. part. 2. considerat. 11. & part. 3. confid. 39.* ubi de virginitatis laudibus plura, tam ex sacris, quam ex profanis literis de prompta adducit. Marquard. *tract. de cœlibat. sacerdot. non abrog. part. 1. cap. 9. per tot.* Bermond. Chouver. *de public. concubin. in præfat.* ideo jura personarum in eo positarum, ut digniorum, præponamus: Ad honestatis privilegia Virginum propria, pertinet, quod de earum, præ viduis & conjugatis, in publicis processibus præcedentia notant Bald. Barbat. Felin. *in c. causam matrimonij 14. X. de Probat.* Chassan. *in catalog. glor. mund. d. p. 3. confid. 39. num. 45.* Item quod testimonium Virginum, cæteris paribus, fide superet testimonium viduarum, & aliarum mulierum, Bald. *in d. c. cum causam. Felin. ibid. n. 4.* Guliel. Benedict. *in cap. Raynutius, 16. X. de testam.* Chassan. *d. l. n. 46.* Monticell. *in repertor. de testib. rubric. testium quis præferat. sub tit. masculi foemina, vers. pen. Anton. Gabriel. lib. 1. commun. rit. de testib. conclus. 4 n. 67.* Farinac. *de testib. quest. 59. n. 50.* Tertium Virginalis honestatis peculiare privilegium est, quod adversus eas, in causa virginitatis ad testificandum non admittantur, quæ quoquo modo honestatem offenderint, licet aliâs rei, de qua agitur, peritissimæ sint. *d. c. pen. in fin. X. de probat.* ubi Bald. Felin. & Innocent; virginitati enim alterius meritò suspecta est, quæ suæ non pepercit, & honestatem statui suo debitam non servavit: Quartum (omnium forte gratissimum) est, quod contrahendi matrimonii potestate privati non possint, in tantum ut dictam facultatem auferens, tanquam honestatis periculum habens (metus enim est ne interdictis nuptiis, ad quasdam illegitimas

gitimas descendant permixtiones. Nov. 2. c. 3.) L. Jul. Miscella, de qua in Nov. 22. c. 43. 44. (ex talia tamen ratione, quam vid. in l. 64. §. 1. de C. & D.) improbetur. Hinc conditio non nubendi, institutionibus, legatis & fideicommissis adscripta, in earum persona vitiatur, ita ut quasi ea non adjecta, relictum capiant. l. 14. ff. de condit. instit. l. 22. 72. §. 4. §. 5. de C. & D. Nov. 22. c. 44. Si sc. generaliter concepta esset: Nam si in personam certam, aut etiam plures, quibus legataria nubere vetetur, nominatim concepta esset, secus est. l. 63. l. 64. d. t. Secus etiam est, cum certo loco interdictum sit matrimonium. & alibi mulier nubere possit. d. l. 64. §. 1. Ex eadem causa etiam est, quod conditio, SI VEL DONEC CASTE VIXERIS, in aliis, puta viduis, matrimonii impeditiva, in virginibus talis effectus non sit, sed tamen, ne à testatore nulliter adjecta sit, honestæ vitæ castitatem etiam conjugalem importet, ita ut nubendo quidem, sub tali conditione relictum non perdant, perdant autem si vel nuptæ castitatē conjugalem, aut viduæ factæ, castitatem vidualem non servant; conditio enim hæc: SI VEL DONEC CASTE VIXERIS, habet tractum temporis successivum etiam post nuptias, imò per vitam duraturum. Hoc jus bene Virginum proprium dicitur respectu viduarum, at non ratione virorum. Nam & in viro, conditio: SI UXOREM NON DUXERIT, ob eandem honestatis rationem, improbata est. l. 3. C. de indict. viduit. toll. l. 79. §. ult. in fin. de C. & D. monstr. add. C. I. A. lib. 35. tit. 1. §. 25. per tot. Hæc de honestatis privilegio quoad Virgines. qui plura desiderat, videat scribentes ad sæpe allegatum cap. pen. X. de probat.

XV. Secundum personarum circa quas honestatis jura, certi mulierum generis propria, versantur, sunt, quarum maritus mortuus est, uno verbo, viduæ. c. 16. dist. 34. l. 3. C. de privileg. Scholar. 12. 30. quas à virginitate non procul ponit Imp. in Nov. 2. c. 3. vers. Optimum itaque & c. ob quam affinitatem Bartol. in d. l. 3. C. de privileg. Scholar. notat, quod privilegio dato alicui & suis descendantibus, tam masculis, quam fœminis, gaudeant filix viduæ, sicut virgines; sequitur & singulare reputat Guliel. Benedict. in c. Raynutius X. de testam. Chassan. in catalog. glor. mund. part. 3. confid. 40. Præmittendum hîc omnium

omnium primò non omnes, quarum vir mortuus est, viduarum privilegiis uti, frui, sed eas solas, quæ, ut viduas decet, vivunt, has enim solas honorandas esse, divina pariter & humana præcipiunt jura, vid. Apost. 1. *ad Timoth. 5.* Ubi Viduas (inquit) honora, quæ vere viduæ sunt, i. e. quæ honeste & caste vivunt, jung. Imp. *in dict. Nov. 2. cap. 3. vers. Optimum itaque est, &c.* Hinc quod invidua, viduarum privilegiis usura, honestas & castitas, sorores, simul adesse, seu concurrere debeant, *juxta juracitata*, jam facile apparet, eam, quæ corpore quidem casta est, sed suam corporis castitatem, inhonestæ vitæ conversatione dehonestat, dignam non esse, quæ ad viduitatis privilegia admittatur, idque indistincte, sive lex viduis privilegium indulgens, diserte de honeste vivente loquatur, sive simpliciter, non adjecta honestatis qualitate, hæc enim in lege non addita, tamen subintelligitur ex ipsa legis natura, quæ est, ut honesta sit. *c. erit autem. dist. 4.* quid quod ita viventes, vere viduæ non sint, imo secund: Apost. *loc. cit.* viventes mortuæ, unde auxilio legum, quæ de illis, quæ vivæ & vere viduæ sunt, intelligunt, frui non debent: Hoc tamen bene temperat Thomas Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 91. n. 38. tom. 2.* ut procedat quando mulier pluries inhonestam vitæ conversationem admiserit, ita ut arbitrio boni viri pro impudica, & inhoneste vivente reputetur. Non incommode hîc quæritur: AN VIDUA CASTE QUIDEM, SED INHONESTE VIVENS, HONESTARUM VIDUARUM PRIVILEGIA IRRECUPERABILITER AMITTAT? Respondetur quod non, quæ enim derelicta turpi vita, honestam deinde vivat, ea legis beneficio in his quæ postea contingunt, frui poterit, si per id tempus vitam viduali statu dignam degere constiterit, cum verum sit eam, cum privilegio uti contendit, honestam viduam esse, atque ita ab auxilio legis, cujus verbis & mente comprehensa est, repellendam non esse. Caterum hæc ad honestarum viduarum privilegia, honeste vivere non dicetur, nisi triennio ex turpi vita relicta transacto; per hoc enim temporis spatium mores mutati præsumuntur, ex communi sententia *ad Nov. 5. c. 2. pr. vers. Sancimus. verb. triennio;* & ita in terminis honestæ modò, quæ antea impudica fuerat, tradit Cabed.

bed. part. i. decis. 55. num. 2. Hæc bene, nisi ita impudice vivendo, ad eum vitæ statum pervenerit, qui inhonestæ vitæ parum idoneus est, quæ enim eousque inhoneste vixit, ea licet deinceps honestæ matronæ personam præferat, ab honestarum mulierum privilegio in perpetuum exclusa manebit, tanquam indigna, ob hoc ipsum, quod quamdiu potuerit, vixerit inhoneste, atque ita satis ostenderit, se honestam, si modo ita dici poterit, non tam voluntate, quam necessitate factam esse.

XVI. His ita præmissis, nunc ad ipsa jura, quæ honestatis causa viduis competunt. Horum summa divisio in duo diducitur genera; aut enim viduis competunt ex ipsa viduitatis causa, eò quod viduæ sint, ut sunt fori, cæteraque miserabilium personarum privilegia, *de quib. l. un. C. quand. Imp. int. pupill. vid. &c. ibique Dd. communiter*, aut ex defuncti mariti persona, ut dignitas, domicilium. *l. 8. in fin. de Senat. l. 22. §. I. ad municip. Bartol. in l. fin. n. 2. C. de V. S. Tiraq. de nobilit. c. 18. n. 5. Cabed. decis. 213. n. fin. part. 1. Otalor. de nobilit. Hispan. part. 4. c. 8. n. 1.* ubi hoc probat, tam in iis, quæ marito compete-
bant jure nobilitatis dativæ, puta, privilegio principis illi concessæ, quam quæ illi competeabant ex nativa sua nobilitate. *Barbos. in l. quia tale. n. 30. ad fin. cum seqq. ff. solut. matrim.* distinguit inter ea, quæ competunt ratione nobilitatis mariti, ut his conjux vidua fruatur, & ea, quæ ratione officii & dignitatis illi annexæ competeabant, ut his non fruatur: sequuntur *Cabed. decis. 98. n. 3. part. 1. Tiraq. tr. cessante causa &c. n. 108.* Hæc utriusque generis privilegia, viduis honestatis causa competere, inde constat, quod iis ita demum gaudeant, si honeste vivant, & non aliàs, ut post alios tradit *Felin. in cap. significantib. n. 8. X. de Off. Delegat. Tiraq. dict. cap. 18. num. 11. Otalor. d. c. 8. n. 1. Clar. in §. stuprum. n. 7. Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 1. cas. 66. n. 1. Covarruv. practic. c. 7. & alii à citatiscitati, add. Apost. loc. cit. ubi de alijs, quod viventes mortuæ sint, dicit: Nam qua in delicijs est, inquit, vivens mortua est.*

XVII. Cum autem quæ in viduarum honorem constituta sunt, alii ab Amplissimo & Consultissimo Viro Dn. Johann.

hann. Bechtoldo, J. U. D. Fautore & Affine nostro, debiti honoris ergo hinc laudando, in *Materiar. & Rubricar. Iur. Univers. Syllog. rubric. Viduus, vidua*, allegati, in specie multis tradiderint, ideo ea hinc non repetemus, contenti iis, quæ ea de re *θ. preced.* generaliter scripsimus. Cæterum ne plane nihil dicamus, dicemus nonnihil eorum, quæ ob violatam vidualis status honestatem amittunt: Inter hæc omnium primum est, quod communiter traditur, viduam per & propter stuprum, legatum à marito etiam simpliciter, pure, sine conditione si honeste vixerit, relictum, tanquam indignam amittere. Salycetus in *l. fideicommissum. 30. n. fin. C. de fideicom. Palat. in repet. rubric. de donat. int. V. & U. §. 67. num. 4. & 5.* Tiraq jam sapius *dict. cap. 18. n. 14.* Clar. in *§. Stuprum. n. 6.* Idem juris, juxt. *Gloss. in L. Sororem, & ibi Bartol. & Dd. communiter C. de his quib. ut indign. heres, & legatarius viduam testatoris stuprantes, patiuntur. Peregrin de jur. fisc. lib. 2. c. 8. n. 2. Molin. de primog. lib. 1. c. 9. n. 47.* Non incommode hinc duo examinantur, I. An hæc communis traditio, in illa, quæ viri defuncti torum stupro realiter violavit, expedita, etiam ad eam, quæ corpore quidem casta vivit; sed tamen suam corporis castitatem, inhoneste aut luxuriose vivendo dehonestat, extendenda sit? Respondetur quod non, tum autoritate supra citatorum, è quorum mente legatum, conditione, si honeste vixerit, non adjecta, per inhonestam, absque stupro tamen, vitæ conversationem non perditur, tum ne nimis lata pœnarum extensio inducatur, contra notissimas juris & æquitatis regulas, *vid. l. 41. de pœn. reg. 15. de R. I. in 6.* tum denique, quia stupri realiter admissi, & inhonestæ absque illo conversationis, dispar est ratio, illo enim ipse torus violatur, hæc, tantummodo tori custos, qui est honestas, ut re ipsa patet: II. Cui legatum illud viduæ isti ablatum cedat? Et cum illi, ut indignæ, ut dictum, auferatur, ultro apparet, cui applicandum veniat, *fisco scil. quem & aliàs ab indigno ablata sequuntur. l. 8. §. 14. de inoff. testam. l. 3. ff. de his quæ ut indign. l. 1. ff. de jur. fisc. Wesenb. παραρ. tit. de his quæ ut indign. n. 1. C. I. A. eod. l. 4. ubi regula cum exceptionib. Barbol. axiom. lib. 9 c. 43. axiom. tit. Gloss. in l. 13. verb. ad fiscum. de his quæ ut indign. Quod ta-*

men intelligunt, quando stuprum commissum est post annum luctus, eo enim intra memoratum tempus commissio, relictum volunt pertinere ad heredes & nominatas personas in l. 1. C. de secund. nupt. ubi ita declarat, & de communi testatur Joan. de Garronib. n. 72. & seq. Cornel. in l. fideicommissum. C. de fideicommiss. Peregrin. de Iur. Fisc. lib. 2. tit. 8. n. 5. Farinac. in prax. criminal. tom. 4. tit. de delict. carnalib. quest. 142. n. 56. fac. Nov. 39. c. 2. Obiter hic notanda differentia inter legatum uxori pure relictum, & relictum sub conditione, si caste aut honeste vixerit; utrumque quidem legataria stupro semper amittitur, sed primum tanquam ab indigna ablatum, fisco applicatur, stupro post annum luctus commissio, secundum quia conditionale est, quodcumque defecta conditione ad heredes, substitutis scil. deficientibus, pertinet. per jura vulgata: Cum his (quantum scimus) transeunt Doctores concorditer.

XVIII. An autem talis vidua, viduitatem suam ita de-honestans, præter in testamento relicta, etiam in vita donata, & alia lucra, ei vel ex pactis dotalibus, puta viduitatem deit Widumb/vel ex conjugali acquæstu das Errungen vnd Gewunnen/quæ apud nos tertia pars est, obvenientia perdat, non adeo convenit: Scribentes ad l. 1. C. de secund. nupt. hæc omnia communiter affirmant, nos de singulis singulatim agemus. Et cum pœnæ, nuptias mulierum sua ad secundum virum festinatione, priori nequaquam luctus religionem præstantium. l. 1. pr. C. de secund. nupt. acerbas facientes Nov. 39. c. 2. vers. Et quoniam &c. adhuc hodie in viduis quodcumque stuprum committentibus, locum sibi vindicent ex communi Dd. sententia, vid. Bartol. Salycet. in l. his solis. 7. C. de revoc. donat. Dec. in d. l. 1. n. 3. C. de secund. nupt. Cravet. consil. 205. incip. pernotatio. 27. Palat. rubric. C. de donat. int. vir. & ux. d. §. 67. n. 3. Barbof. in l. 2. pr. part. 1. n. 66. ff. solut. matrim. Cost. (qui tamen ex parte dissentit) in c. si pater, verb. legavit. n. 34. de testam. in 6. Clar. in §. stuprum. n. 6. Cabed. decis. 50. n. 5. part. 2. ideo non veremur quæstionem quoad causam viduitatis affirmare, hac affirmandi ratione moti, quod qui uxori viduum, sive inter vivos, puta pactionibus & stipulationibus: sive mortis causa, per ultimam voluntatem constituit, verbo eo, quo

quo in §. ult. I. de Servit. præd. §. 1. I. de Vsufr. accipitur, modo accepto, illius viduitati prospicere intendat, quæ quæ se indignam præbet, merito etiam in illius causam relicto indigna judicatur, per ea, quæ supr. §. 15. 16. de viduitatis juribus per inhonestatem amittendis, habentur, generale quippe est, ut delinquens favore rei, inquam deliquit, ut indignus cadat, arg. l. 37. in fin. de minorib. ubi Dd. communiter: Idem tenet Magnificus Dn. Joh. Jacob. Frid. Jctus, Reipubl. Patriæ Syndicus Gravissimus, Vir literis, morum probitate, natalium honestate, egregiis legationibus egregie functis, in Magnorum Regum & Principum Aulis Celeberrimus, meritis in Patriam maximis Clarissimus, à nobis cultu, qui devotum clientem decet, honorandus, colendus, in Disputat. Inaugur. De Jure Viduitatis, Anno 1645. habita. §. 44. num. ult. ubi ita ante annos aliquot, coram Senatu Majore, in causa viduæ cujusdam pastoris judicatum fuisse refert: add. Robert. lib. 1. rer. judic. cap. 13. Gail. 2. obs. 98. n. 17. Idem in usufructu (cum quo viduum maximam habet affinitatem) à marito relicto, agnoscit C. I. A. lib. 7. tit. 4. §. ult. in addit. hic enim secundis quidem nuptiis non amittitur. Gail. dict. loc. n. 24. sed bene stupro. Forster. 7. success. 16. Anton. Guibert. de dotib. cap. 6. n. 24.

XIX. Alia sane causa est illorum, quæ ex bonis constante matrimonio ex causa matrimonii acquisitis, veluti ap. nos, ut dictum, tertia pars, mulieri obvenerunt, hæc enim licet mulieri per matrimonium, forte mariti industria, aut etiam ex bonis illius obvenerint, quia tamen ei obvenerunt, non tam beneficio mariti, quam providentia legis, ideo, ea, vidua etiam post stuprum retinebit: Idem in usufructu, qui vidua ex dispositione legis competit, post Berlich. 4. conclus. 31. n. 13. & 17. sentit C. I. A. d. loc. Nec obst. quod vidua stuprum vel semel committens, omnia illa privilegia, quæ ei ex defuncti mariti persona & nobilitate competebant amittat, adeo, ut licet errati pœnitens, in posterum ut viduam decet, i. e. caste & honeste vivat, ea ob hoc ipsum, quod prædefuncti Viri torum violaverit, nunquam recuperet, quod præter ea quæ supr. §. 15. 16. dicta sunt, probatur argumento ejus, quæ ad secunda vota migravit, hæc enim licet non ita culpanda sit, ut illa,

quæ prima turpissimo vitæ usu denigravit, tamen sua ex primi mariti persona & dignitate competentia privilegia in perpetuum amittit, ut nec vidua deinde facta iterum recuperet, multo ergo magis illa, quæ stuprum admisit, ne scil. contra sanam rationem luxuria plus habeat castitate. Hæc inquam privilegia viduæ ex mariti persona quidem competentia, vidua non tam mariti voluntate, quam beneficio legis habet, & tamen ea, ut dictum, stupro amittit. Ergo falsum viduam, quæ legis beneficio habet, stupro non perdere. Sed, ut taceamus illam conjugalis ac quæstus partem, viduæ, ejusque heredibus ex lege competentem, non esse viduitatis privilegium (nec enim viduæ ideo quod vidua sit, competit, nec ex defuncti viri persona & nobilitate, sed ex jure proprio, ei jam constante matrimonio, ex illa bonorum communicatione inter conjuges per ipsum matrimonialem (ut ita dicam) contractum inita, quæsito) adeoque nec eorum jure judicandam, ne sc. à diversis ad diversa fiat illatio; respondemus diversam esse privilegiorum, & lucrorum, de quibus hîc causam. Illa enim dignitatis & nobilitatis mariti defuncti privilegia viduæ originaliter & principaliter non competunt, nec enim in illius persona initium sumpserunt, sed tantummodo participative, vi illius, *juxta illud, erunt duo in carne una, Genes. 2.* personarum conjunctionis; atque ita hæc personarum unio, quæ propter pristinum matrimonium in viduitate permanere creditum. *l. ult. C. de bon. matern. ibique Dd.* in viduitate manet, tametsi utrumque sicte, est durantis in vidua privilegii causa & fundamentum, unde eâ, unione scil. quod sit cum vidua corpus suum alteri tradit, vel prodit, dissoluta, ipsum privilegium, tanquam soluta illius transmissi causa, resolvi necesse est, atq; ita in persona mulieris, in qua subsistendi nullum fundamentum est, persistere non potest, est enim generale ut soluto jure dantis, resolvatur jus accipientis. *l. 31. de pignor. & hypoth.* hæc; inquam, ratio, in conjugali acquæstu cessat, hic enim ad mulierem æque principaliter, ac ad virum, pertinet, nec memorata personarum unione fundatus est, unde meritò eâ etiam soluta, non resolvitur, sed nihilominus in muliere, ut in propria ejus persona, ex jure proprio, fundatus, manet, durat.

XX. Ex hoc quod quæ non à mariti persona pendent, sed in propria mulieris persona radicata sunt, in ea etiam post solutam personarum unionem, durent, permaneant, facile apparet, viduam nec donationes constante matrimonio, atque ita in vita, factas, per & propter stuprum, amittere; fac: quod nulla lex sit tale quid dicens, ut in re non adeo absimili, loquitur Imp. in Nov. 2. c. 3. vers. Sicut enim patres &c. nec legis viduam ob impudicitiam ijs, quæ ei suprema defuncti viri voluntate relicta erant, multantis, utpote pœnalis, extentio ad ea, quæ inter vivos modo aliquo legitime quæruntur, inducenda sit: contrarium, ut commune tradit & probat Farinac. in prax. crimin. tom. 4. tit. de delict. carnal. quest. 142. n. 54. Hic tamen notandum, quod quamvis illa conjugalis acquæstus pars, de qua *θ. preced.* & hæc inter vivos donationes, in eo, quod neutrum viduæ stupro amittatur, ad paria vocentur, in eo tamen ad imparia judicentur, quod illa viduæ maneat etiam quoad proprietatem, quod secus est in his: Si enim ex defuncto donatore, hæc donataria vidua liberos habeat, ad has proprietates bonorum, quæ illi ab illo obvenerunt, pertinebit, argumento ejus, quod in matre secundas nuptias contrahente tradit Imp. in l. 3. C. de secund. nupt. & ita tenet communis sententia, notante Sanchetz. lib. 7. de matrim. disp. 90. num. 13. ubi & in num. seq. agit de masculo viduo luxuriose vivente, contrarias in eo referens opiniones.

XXI. An vidua per viduale stuprum dotem amittat, sicut conjugata eam amitteret per adulterium, inter Dd. non adeo indubium est. Et quamvis sint, quibus ita videtur, vid. Paul. in l. Sororem. C. de his quib. ut indign. & in l. fideicommissum. C. de fideicommiss. n. 4. latius consil. 147. volum. 2. & plurim. alios à Surd. de aliment. tit. 7. quest. 24. n. 10. Farinac. in prax. crimin. tom. 4. tit. de delict. carnal. quest. 142. n. 6. relatos Nobis tamen post Alexandr. in d. l. Sororem. n. 3. Pinel. in l. fin. n. 11. C. de bon. matern. Cost. in c. si pater. part. 1. verb. legavit. n. 41. & seq. de testam. in 6. Covarruv. (qui tamen in prima editione priorem sententiam tenuit, secundum quam etiam à Pinel. & Cost. pro ea citatur) de Sponsal. part. 2. c. 7. §. 6. num. 11. & 12. Clar. §. stuprum. n. 5. Cabed. decis. 50. num. pen. & ult. contraria
repedir

resedit sententia, cum quod dos à marito non proficiscatur, sed vel ab ipsa muliere aut alio ejus nomine & intuitu, tum quod nulla lex sit eam ob viduale stuprum dote privans, *vid. Nov. 2. c. 3. vers. Sicut enim patres, &c.* Contrarium qui sentiunt, eo præcipue moventur, quod & viduale stuprum videatur adulterium, propter pristini matrimonii, quod inviduitate inter superstitem & defunctum conjugem durare dicitur. *l. ult. C. de bon. mat.* ibique Pinel. & Dd. violationem. Sed, omisso eo, quod illa pristini matrimonii in viduitate duratio, in favorem superstitis introducta sit, *vid. C. I. A. de rit. nupt. 0. 26. n. 3. circ. med.* adeoque in illius odium nullatenus retorquenda, per jura vulgata, *vid. l. 6. C. de LL. l. 25. ff. eod. reg. 61. de R. l. in 6. cum similib.* Respondemus matrimonium illud inviduitate durans, esse tantummodo fictum matrimonium, per ipsum dissentientem Paul. *dict. volum. 2. consil. 147. ibi: per viduæ stuprum violatur matrimonium fictum, quod durante viduitate esse intelligitur, & veritatis Prædicatorem 1. ad Corinth. 7. ibi: mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est; adeoque ejus violati non eandem esse pœnam, quæ est veri matrimonii violati, generale siquidem est, ut in pœnalibus dispositio, loquens in casu vero, non extendatur ad fictum, ne scil. ultra suos producat limitibus.* Petr. de Anchar. *consil. 118. pr. & n. 4. item cons. 328. n. 2.* Cardin. Seraph. *decis. 911. n. 2.* Cravett. *consil. 205. n. 33.* quid quod adulterii constante matrimonio commissi, & vidualis stupri disparitas ratio, illo enim viro major infertur injuria, quam hõc, ut ipsa patet, & observat Cravett. *dict. consil. 205. n. 26.* ubi nostram sententiam contr. Dissent. late & ex professo tuetur & plurib. confirmat. Idem, sed fere aliis fundamentis, tenet Dominic. Arum. *Exercit. ad Inst. 20. 0. 9.*

XXII. Rursus vidua per stuprum, jus liberis in eorum bonis, eis à præmortuo patre relictis, succedendi non quidem amittit; sed tamen ejus, quod ex successione unius consecuta est, proprietatem, cæteris reservare tenetur, idque iterum, ne melioris conditionis sit eâ, quæ iterum, licet legitime, nupsit, qua de hoc in terminis traditur *l. 3. §. 1. C. de secund. nupt.* atque ita luxuria plus habeat castitate. *Palat. dict. repet. rubric. de*

de donat. int. vir. & ux. §. 67. n. 17. in addit. Perdit tamen tutelam liberorum, ad instar ejus, quæ secundò nubit, ut probat text. in *l. fin. ibi. Sed pudicitiam suam intactam servet. C. quand. mul. tut. offic. fung. & tradunt Gloss. Bart. & alii in Auth. Sacramentum, eod. Palat. loc. jam sapius alleg. n. 14. Tiraq. de nobilit. cap. 18. n. 14. Molin. de primog. lib. 1. c. 9. n. 47. Joh. Guttier. Tract. de tutel. & cur. part. 1. cap. 9. n. 19.* Ex hoc, quod jam, viduam impudicam, & iterum nubentem, quoad liberorum successionem, & tutelæ eorum amissionem, æquiparaverimus, dicendum videretur, quod ut illa, quæ liberorum suorum tutrix, tutore iis non ante petito, ad secundas convolat nuptias, jus, iis impuberibus mortuis, succedendi amittit, *l. 6. C. ad Sc. Tertull.* ita etiam, quæ luxuriose vivit, eandem in casu isto pœnam pati debeat, ut tradit Paul. in *d. l. 6. n. 2.* quem cum aliis refert & sequitur Molin. *d. c. 9. n. 51.* Sed diversum dicere, diversitas rationis (quæ in omni morali disciplina non postremo loco attendenda) suadet, imò compellit; quæ enim prius, quam pupillis suis tutorem alium ordinari fecerit, quodque eis ex gestæ tutelæ ratione debet, persolverit, ad secundas adspirat nuptias, in culpa est, cur de suis nuptiis ap. judicem tacuerit, cum tamen ei, eas, ut honestam dimittendæ tutelæ causam, coram judice, citra ullam turpitudinis notam, proponere licuisset; at vero quæ luxuriosam vivit vitam, hanc, ut dimittendæ tutelæ causam, coram judice non sine rubore allegare poterit; vid. *l. 5. C. de condict. ob turp. caus.* unde si de ea taceat, (quemadmodum etiam eam revelare non cogitur, ne propriam turpitudinem detegat Wesenb. *paratit. de testib. n. 3. circ. fin.*) nec ob eam filiis tutorem petat, in culpa non est, & consequenter ob tutorem ob eam scil. vitam suam luxuriosam, liberis non petiturum, non eandem pati debet pœnam, quam patitur, quæ illo non petito ad secundas venit nuptias; Atque ita utraque quidem male agit, sed non eodem modo: hæc enim male agit, non quod tutorem non petierit; (nec enim eum petere potuit, honestâ ejus petendi causâ destituta) sed quod malum vitæ genus instituerit: contra, illa male agit, non quod iterum nubendo, malum vitæ genus instituerit; sed quod antè tutorem non petierit; unde hæc ob omissam tutoris petitionem

D

nem

nem, privatur & punitur jure impuberibus succedendi; illa
 non: Quod *supr. versic. perdit tamen*: de liberorum tutela ob
 impudicam tutricis vitam amittenda dictum, sic accipiendum,
 ut ad amissionem non sufficiat eam semel aut iterum in suum
 peccasse corpus; sed requiratur pluries ita ut luxuriosæ no-
 tam incurrat: Obst. quod pœnas secundò nubentibus statu-
 tas, unico tantum stupro vidua incurrat, ut ex mente commu-
 nis *supr. θ. 15. 16. 19. tradidimus*. Respondetur, mutari sub-
 jectum; communis enim, de qua ibi, loquitur de privilegiis
 viduæ ex defuncti viri persona & nobilitate competentibus,
 quæ unico viduæ stupro amitti, verissimum est, cum ob ratio-
 nem *supr. θ. 19. allatam*, tum quod incivile, imo satis acerbum
 esset, ut ex persona illius, cujus animam (ut *Dd. per text. Nov.*
22. c. 43. loquuntur) tam graviter contristavit, commodo ali-
 quo, aut dignitatis privilegio frueretur; at hîc sermo est de tu-
 tela, quæ viduæ competit, non ex mariti persona; sed ex sola,
 nuda & mera legis dispositione: per tot. *tit. C. quand. mulier*
tut. off. fung. quæ autem hujus generis sunt, vidua non ita fa-
 cile amittit, ut quæ prioris generis sunt, *argum. supr. θ. 19. 20.*
dictor. Non etiam movet, quod filiorum tutrix ad secundas
 convolans nuptias, statim liberorum tutelam amittat, *juxta*
supr. & infr. dicta, unde idem dicendum videbatur in eâ, quæ
 cum aliquo, licet semel illicite concubuit, ne sc luxuria plus
 habeat castitate, contra rationem communem, & jura vulga-
 ta, *vid. l. 7. in fin. C. de revoc. donat. Nov. 39. cap. 2. §. 1. vers. ult.*
 nam & hîc diversa est ratio, in eo stans, quod tutrix contractis
 nuptiis statim in amittendæ tutelæ casum incidat, ut not. *Bart.*
in Auth. Sacramentum. C. quand. mul. tut. off. fung. n. 2. Guttierr.
de tut. & cur. part. 1. c. 8. num. 84. & seqq. non quidem, ut alii
 volunt, ideò, quod in viri potestatem transeat, atque ita juxta
 vulgarem regulam *l. 21. ff. ad L. lul. de Adulter.* alios sub pote-
 state habere non possit, siquidem aliquam viri in conjugem
 potestatem (*vid. c. 17. 33. q. 5.*) agnoscimus quidem cum *Tiraq.*
de LL. connub. 1. per tot. verum à dominica & patria ita distin-
 ctam, ut in jure personarum effectum nullum habeat, per ea
 quæ *Vir Magnific. Dn. Frideric. Deckherr, Ordinarius Pandec-
 tar. Professor, Patronus & Præceptor à nobis pio cultu hono-
 randus,*

randus, habet in Disputat. de Condit. Uxor. c. 3. §. 9. sed propter suspectum illius erga hos amorem. Lex enim liberis contra matres, quæ plerunque novis maritis non solum res liberorum, sed & vitam addicunt, prospexit, l. 22. vers. Lex enim. C. de administr. tutor. hæc ratio in ea, quæ tantummodo semel aut bis in corpus suum peccavit, cessat, ergo & jus eâ fundatum, generale siquidem est, ut cessans dispositionis præsuppositum, faciat cessare dispositionem, per Gloss. in l. mancipia. C. de serv. fugitiv. teste Menoch. remed. recup. 9. num. 161. ab omnibus receptam, Decian. consil. 161. n. 1. consil. 317. in fin. Wesenb. 1. consil. 25. n. 11. Alia causa est vitæ luxuriosæ, (differunt enim hæc, semel aut iterum in corpus suum peccare & luxuriose vivere, ut reipsa constat & late probat Cost. jam sæpe dict. loc. n. 41.) quam quæ sectatur, indubiè liberorum tutelam amittit; certum enim est de liberis non multum curare, quæ de se ipsa ita non curat, ut ei, tanquam prodigæ, curator dandus sit. l. 15. de curator furios. junct. gloss. ibid. Johann. Guttier. de tutel. & cur. part. 1. cap. 9. num. 23. Hæc de quæstione An.

XXIII. Quomodo autem hæc luxuriosa tutrix, filiorum tutelam per luxuriosam suam vitam amittat, ipso ne jure, an demum sententia judicis eam tutela abire jubentis, inter Interpp. non convenit: Qui negant, nituntur argumento ejus, quod in notorie prodigo traditur, quem per suam prodigentiam, ante decretum judicis eum talem declarantis, rerum suarum administrationem non amittere, communis est sententia. Wesenb. in papat. de Curat. furios. Cujac. Duar. Bartol. & alii ita in l. 6. de V. O. notantib. Contra qui affirmant, quos sequimur, moventur argumento ejus, quod secundò nubens ipso jure liberorum tutelam amittat, tradentib. Bartol. in Auth. Sacramentum. C. quand. mul. tut. off. n. 2. Guttierr. de tutel. & cur. part. 1. c. 8. n. 84. 88. 89. Ergo & luxuriose vivens, ne sc. hæc melioris conditionis sit istâ, quæ iterum nubendo, non ita filios inhonorat, ut quæ turpiter vivit: Dissidentium argumentum quod attinet, omisso eo, quod illius præsuppositum (apud nos quidem per ea, quæ Magnificus Dn. Joh. Rebhan. Comes Palat. Cæsar-Ordinarius Feudor. & Codic. Professor, à

nobis, cultu, qui clientem & discipulum decet, honorandus, venerandus, habet *in Παραλιπομ. Mejerian. decad. 4. quest. 4. certissimum*) non omnibus arrideat, vid. Donell. *add. l. 6. de V. O. Fach. 2. controv. 63. Dominic. Arum. disput. ad præcipuas Pandectar. & Cod. Leg. 17. θ. 7. & alii à citatis citati; responderi poterit, facilius quem propter vitium, rei alienæ, quam suæ, administrationem amittere, exemplo patris, cui propter luxuriosam vitam, non ita facile bonis propriis interdicitur, ut ei administratio bonorum filii adimitur. l. ult. §. 2. vers. Nam si patria & c. C. de sent. pas. & restit. ubi ita notant, vid. Guttier. dict. tr. de tut. part. 1. cap. 9. n. 25.*

XXIV. Dubitatur quoque AN AMISSA PER LUXURIAM TUTELA, TUTRICE POST MALE PERDITAM VITAM, AD HONESTAM RESIPISCENTE, RECUPERETUR: Respondetur quod non, idque in singularem illius, quæ turpissimo vitæ genere vidualem honestatem adeo deturpaverit, pœnam. Nec movet quod quæ secundò nupsit, iterum viduata, tutelam liberorum per secundas nuptias amissam, tum temporis vacantem, recipiat, juxta *Speculat. tit. de tutorib. §. nunc videndum, n. 7.* esto enim quod vera sit hæc sententia, nec enim desunt, qui contradicunt. (ut *Petr. & Cyn. in Authent. matri & avia. C. quand. mul. tut. off. fung. ubi quest. ult. in fin.* recuperationem tutelæ absolute negant) Respondetur non statim quæ secundò nubenti competunt, huic quoque competere, quia aliquid plus castitati, quam luxuriæ tribuendum est, item quia non tam culpanda est, quæ ad secunda vota migravit, quam quæ turpissimo vitæ genere prima denigravit, tum denique quod admodum periculosum sit, liberos in hujus tutelam recidere, periculum enim est, ne in pristina relabatur vitia. Et hæc, circa viduas inhoneste agentes, cum in praxi non raro evenire possint, præ aliis notare placuit.

XXV. Transimus nunc ad tertium mulierum, circa quas honestatis jura versantur, genus, quod est conjugatarum, seu in conjugio viventium: Hic primo examinemus: AN PERSONÆ CONIUGATÆ DIGNÆ SINT, QUIBUS HONESTATIS JURA COMPETANT? Quæstio in eo vertitur, ut animadvertamus, an in conjugio viventes, in honesto
vivant

vivanr Statu, seu quod idem est, an conjugium sit Status honestus: Hic quoad honestatis jus, distinguunt inter nuptias primas, quibus honestatem omni ex parte illasam manere dicunt, & secundas, quibus, & multò magis ulterioribus, honestatem, si modò maneat, mancam manere volunt, per text. Nov. 22. c. 40. *ibi: propter solam honestatem hoc agunt &c.* ubi gloss. secundis nuptiis honestatem corrumpi dicit: Et sanè secundas nuptias Romanis, apud quos binubæ corona pudicitiae carebant; (solæ enim quæ uno contentæ erant matrimonio; corona pudicitiae coronabantur: eas certe matronas incorrupto animo existimabant, quæ multa non experiebantur matrimonia. Valer. Max.) itemque antiquis P.P. non adeo commendatas fuisse, notum est, & abunde constat vel ex Chrysolom. *in c. hac ratione 3 r. q. 1. relato*, ubi secundam uxorem accipere, secundum veritatis rationem vere fornicatio est. subdit tamen, Sed dum permittente Deo publice & licenter committitur, fit honesta fornicatio: addat: etiam Imp. Leo. *qui in Nov. 90. ita: Oportebat homines divina manu formatos, menteque & ratione peditos, cum in alijs, tum præcipue in castitate matrimoniali à brutis non vinci: Multa autem brutorum animantium genera (turtures) conjugæ mortuo perpetuam viduitatem amplectuntur, alterisque nuptijs priores, velut congesta terra, obtegere nolunt &c.* plura ex Tertulliani *libr. de Monogam.* & Nicolai Fajani Viterbiens. *tract. Mulier transiens ad secunda vota an dicatur honeste & caste vivere* (reperitur tom. 9. tractatum juris) afferri possent, sed verentes ne opponatur illud ex Comædia:

— *Incerta hæc si tu postules:*

Ratione certa facere, nihilo plus agas:

Quam si des operam, ut cum ratione insanias:

afferre nolumus, & allatis non attentis, dicimus conjugium seu matrimonium etiam secundum, honestum esse Statum, moti seqq. rationibus: 1. Quod argumento illius dicti *1. ad Corinth. 7. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, & nubat in domino, cui velit.* add. Innocent. *in c. ult. X. de secund. nupt.* secundæ nuptiæ jure divino sint licitæ. Ergo & honestæ; quamvis enim aliàs jure humano, non omne licitum, honestum sit, exempl. concubina-

natus.

natus & similia, vid. l. 144. de R. l. secus tamen est quoad jus divinum præsertim novum quo licitum & honestum convertuntur, ita ut quidquid eo jure licet, illud honestum sit, quia omne inhonestum, utpote malum, eo jure impunitum non est, nec enim ullum malum Deus relinquit impunitum: 2. auctoritate Patrum, Hieronymi, qui ad Pammach. in Apologetic. contr. Jovinian. ita: *Non damno bigamos, imò nec trigamos, & si dici potest, octigamos: & paulo post: Idem ego nunc voce proclamo libera, non damnari in Ecclesia bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto, sexto, & ultra. add. c. additur. 27. quest. 2. can. aperiant. 31. q. 1. & Augustini in c. pen. & ult. dict. caus. & q. relati.* 3. Exemplo Patriarcharum, quorum non omnes in viduitate mansisse, testimonio est Abraham, qui mortua Sara, Kethuram, (quæ utcunque vera uxor seu conjux fuerit, tamen *1. Paralip. 1. vers. 30. Pillegesch indigitatur, vocatur*) duxit. *Genes. 26. 1.* His inquam, qualibusqualibus rationibus (qui meliores, accuratiores desiderat, adeat D.D. Gerhard, *loc. de conjug. ex Jctis Mæstert. de secund. nupt. quest. 4. & seqq.* Cujac. *in π. C. de secund. nupt. c. 2. & Dd. ad dict. tit.* scribentes communiter) etiam secundas nuptias, honestas dicimus, ita tamen ut eas, sicut & primas, non contrahens, in honestatem nihil peccet. Matrimonium enim contrahere, hodie, in Statu generis humani multiplicati, est ex genere permissorum, juxta illud Apost. *1. ad Corinth. 7. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium, i. e. permittendo, non præcipiendo, unde illud salva pietate, honestate, officiorum regulis, contrahere, & non contrahere licet.* Repetere (inquit Grot. *de I. B. & P. lib. 3. c. 4. §. 2.*) nuptias licet, sed laudabilibus est, uno contentum esse matrimonio.

XXVI. Esset ut quæstione An, taliter qualiter explicata, jam proponeremus qualia honestatis privilegia, in conjugio viventes habeant, verum cum nullum (quod scimus) speciale privilegium, conjugatis, honestatis causa, concessum, in jure nostro reperiat, ideo illius loco, pace Benevoli Lectoris, dicemus nonnulla eorum, quæ ob violatam conjugalem honestatem amittunt: Horum in numero sunt, quæ per & propter adulterium perdunt, ut dos: hanc enim, adulteram viro

viro

31.

viro non reconciliatam, aut illius lenocinio adulteratam, perdere, utroque jure expeditum est per c. 4. X. de donat. inter vir. & ux. ubi Abbas & reliqui Canonist. & l. 8. §. 5. C. de repud. junct. l. 47. solut. matrim. Covarruv. de Sponsal. part. 2. c. 7. §. 6. n. 1. Clar. in §. adulterium. n. 13. Gregor. Tholosan. syntagmat. lib. 9. c. 23. n. 12. & lib. 36. c. 6. n. 14. Barbof. in l. 2. part. 1. n. 53. ff. solut. matrim. Surd. de aliment. tit. 7. quest. 16. n. 20. Farinac. in prax. crimin. tom. 4. tit. de delict. carnalib. quest. 142. Menoch. de arbitrar. cent. 5. cas. 419. n. 58. Idem in arrhis probat communis, ut constat ex citatt. à Farinac. dict. quest. 142. n. 2. & 3. Menoch. dict. cas. 419. n. 59. ubi de variis adulterii pœnis, ap. varias nationes & populos, atque etiam populum ipsum Romanum, late & curiose. An autem mulier adulterii à marito non accusata, possit eo mortuo, ab illius heredibus civiliter, ad dotis scil. amissionem, accusari, agit Valase. consil. 169. tom. 2. fusius Barbof. d. l. 2. n. 119.

XXVII. AN ADULTERA CUM DOTALIBUS, ETIAM PARAPHERNALIA PERDAT? Hic iterum Dd. in diversas secedunt sententias, quibusdam simpliciter affirmantibus, quibusdam simpliciter negantibus, quibusdam vero distinguentibus. Simpliciter affirmant Jason. in Rubric. C. de judic. n. 3. & in l. fideicommissum. C. de fideicommiss. Hippol. in l. 1. §. item n. 4. de fcar. Rom. consil. 315. Alex. consil. 111. vol. 2. Chass. in consuet. Burg. Rubr. 4. §. 6. n. 15. Bos. de coit. damn. num. 54. Angel. in tr. malef. n. 27. Gloss. in c. 4. X. de donat. int. vir. & ux. Felin. cap. pastoralis. de judic. num. 5. & alii à Farinac. dict. quest. 142. n. 2. 3. Menoch. dict. cas. 419. n. 59. citati. Contra simpliciter negant Panormit. in d. c. 4. de donat. int. vir. & uxor. & in cap. pastoralis. de judic. Boer. decis. 338. Hipp. in l. pater. de quest. n. 10. Bocer. de adult. c. ult. n. 37. Maufer. ad §. ult. l. de nupt. Wesenb. parat. ad l. Iul. de adult. n. 19. circ. fin. C. l. A. eod. d. 22. pr. Distinguunt Barbof. in l. 2. ff. solut. matrim. n. 55. & 6. & alii citati à Sanch. de matrim. disput. 8. n. 10. Et sane cum nostrum non sit inter tantos viros arbitrari, forte nobis tutius erit, illud, non liquet, jurare: Sed tamen, ne fluctuari videamur, sententiam simpliciter negantium probamus, seqq. probandi rationib. moti. I. Autoritate pro eà citator: Autor. (inter quos

quos nobis præcipui sunt Argentinenses) II. Quod nulla lex sit tale quid dicens, ut in simili ratiocinatur Imp. in jam sæpius dict. Nov. 2. c. 3. imò omnia illa juris loca (vid. Nov. 117. c. 8. §. 2. Nov. 134. c. 10.) adulteram ob adulterium civiliter multatantia, diserte de dotalibus loquantur bonis, quæ si ad paraphernalia quoque extenderentur, nimis lata legum pœnaliùm fieret extensio, contra communes juris regulas, quibus beneficia quidem amplianda, odia contra coarctanda dicuntur. vid. reg. 15. de R. I. in 6. l. 18. ff. de LL. cum similib. coadjuvat. III. Quod adulteræ, dote & omnibus bonis detractis, ansa in turpi vita continuandi præberetur: Satis ergo pœnæ sustinet adultera, si & dotem, & ex alia sua substantia tantum, quantum dotis tertia pars est, amittit, juxta jura citata.

XXVIII. Ob violatam conjugalem castitatem & honestatem, an alimenta quoque adultera amittat, inter Dd. controversia non caret. Affirmativam amplectuntur Abb. in cap. fin. n. 3. de adulter. Palat. in repet. rubr. de donat. int. vir. & ux. §. 64. n. 9. Surdus de Alim. tit. 7. quest. 16. n. 16. & seq. Barbof. in rubr. solut. matrim. part. 2. n. 47. Farinac. in prax. crimin. tit. de delict. carnal. quest. 143. n. 44. Contra adulteram, factâ etiam tori propter adulterium separationem, à marito alendam esse, tenent alii, quos refert. & sequitur Clar. §. adulterium. n. 17. cujus ratio est, quia etsi illa adultera sit, non tamen desinit esse uxor, etiam post tori separationem, c. 2. de divort. unde castitatem servare tenetur maritus, aliàs recipere uxorem cogendus, ut ex communi tradit Covarruv. de Sponsal. part. 2. c. 7. §. 6. n. 5. Clar. d. n. 17. Surd. dict. quest. 16. n. 52. Barbof. in l. viro atque uxore. 39. ff. solut. matrim. n. 3. in fin. Sanchetz. de matrim. lib. 10. disp. 9. quest. 3. ubi quatuor in hoc sententias adducit. Alii denique sententiam affirmativam ita accipiunt & declarant, ut negativæ non adversetur, sed eam limitet; nempe, ut adultera quidem alenda sit, (idque honestatis causa & favore, ne scil. ei, denegatis alimentis, necessitatis obtentu in turpi vita perseverandi, atque ita honestatem violandi, occasio daretur) non tamen alimentis conjugæ dignis, quibus se per adulterium indignam fecit. Nos in hâc Dd. ἀντιλογία sequimur sententiam adulteræ alimenta simpliciter denegantium; cum enim

enim illa per & propter adulterium suum, omne jus, quod in marito, & ad maritum habet, perdat, & omne privilegium ei ex matrimonio, quod violavit, competens amittat, Panormit. in cap. literas, de restit. spoliat. Dec. in c. pastoralis. col. pen. de judic. ac viro suo, propter illam inter eam & ipsum personarum unionem, per adulterium dissolutam, incipiat esse plane extranea, non videmus quo jure, quave fronte, alimenta petere poterit, ab eo, cui tam gravem irrogaverit injuriam: Nihil tam lædit virum, quam uxoris adulterium, etiam hanc ob rationem, quod ei adimat certitudinē prolis, cujus tamen cura homini, imò omnibus animantibus, naturaliter inest, nemo enim alienam prolem libenter educat, propter onera ei rei adhærentia.

XXIX. Quæritur: an uxor divortium, & dotis amissionem, violatæ conjugalis honestatis pœnas, incurrat tantum per adulterium, an vero etiam per alia facta conjugali honestati contraria, puta, libidiosa oscula, amplexus, aut quoscunque alios turpes tactus & actus: Et ob memorata impudica facta, æque, ac ob adulterium, dotis amissioni locum esse, Doctorum plurimi tradunt, ita ut commune dici possit, vid. Bald. in c. tua n. 4. de procur. Nicol. Bellon. in rubr. C. de edend. n. 81. Dec. in ead. rubr. col. 1. Barbof. in l. 2. ff. solut. matrim. num. 69. vers. amplia tertio. Menoch. de arbitr. lib. 2. cas. 287. n. 7. Curt. in feud. part. 4. late Joan. Lupus in rubr. de donat. int. vir. & ux. dicens quod per osculum solum, vel mamillarum tactum laceratur matrimonium. & alii multi à Johann. Nevizan. (lepido Autore) in Sylv. Nupt. pag. m. 324. n. 76. in fin. n. 77. & 8. relati: Contrà, contrarium asserunt Bellon. dict. rubr. n. 83. Covarr. de Sponsal. part. 2. c. 8. §. 6. n. 3. Tholosan. syntagm. lib. 9. c. 23. n. 13. Menoch. dict. n. 7. cum seqq. Quamvis autem impudici isti actus, utpote præludium Veneris, ut notat gloss. in l. quod ait. 23. verb. in ipsis reb. ff. de adult. & l. 1. verb. propter voluntatem. de Xordin. crimin. & præparatorium adulterii, (sicut percussio, homicidii) imò pars, per Ifern. in c. 1. §. turpiter luserit. quib. mod. feud. am. & vulgatum vers.

Visus & alloquium, tactus, post oscula factum.
matronalem pudicitiam illæsam non servant c. nec aliquam. 27.

E

9.14

14.



q. 1. unde & P. Mævius, filia suæ mandavit, ut non tantum virginitatem illibatam, sed & oscula sincera ad maritum afferret; tanti tamen, juxta illud puellæ ap. Theocrit.

Ne Satyrisce rime: rem ajunt esse oscula inanem.

Et facie abluta tolluntur & oscula sputo.

momenti non sunt, ut eos ad parem cum adulterio (quo marito major irrogatur injuria, & majus ab uxore committitur delictum) pœnam vocemus, præsertim cum nec vere adulterium, nec legitima illius præsumptio aut probatio sint, per ea, quæ habet Farinac. in prax. crimin. tom. 4. tit. de delict. carnal. quest. 136. n. 129. & 30. Menoch. de præsumt. lib. 5. præsumpt. 41. n. 26. Atque ita cum C. I. A. tit. ad L. Iul. de adult. §. 22. n. 8. ob osculum, nullam privamus dote: Add. Dom. Arum. Exerc. ad Inst. 20 §. 8. Rainald. Corpus (reperitur tom. 1. tractat. juris) indagat. Iur. lib. 3. c. 17. ubi ita: De dote ab uxore propter osculum luxuriosum amittenda sic statuerem, quod si constet eam osculatam fuisse extraneum hominem, aliquo verisimili impedimento obstante, quo minus coire possent, vel si illa procaces blanditias admiscuit, ut linguæ additamenta, tunc, quia corrupta animo, marito injuriam intulit, dotis fecisse jacturam, omnino putaretur: in adulterio enim in primis animus spectandus (ut Xenophon in Cyriped. disputat.) & voluntas, & propositum; quæ delicta distinguunt. l. verum. ff. de furt. Sed si mulier honestæ alioqui vitæ, diuturno amantis obsequio, precibusque devicta (quod in dubio præsumendum. l. un. §. pen. C. de rapt. virg.) osculo tandem illum dignata sit. (frequentes absint conventus, nimique joci) probeturque in ipsius potestate fuisse, ut adulterium consummaret, nec fecerit, non video, cur incorrupto manente animo, sexus mollitiæ, fragilitateque inspecta, amoris vi, ut sit reciprocus, exigente, mulier veniam non mereatur, præsertim cum florem ipsum castitatis illibatum servarit, nec adsit periculum filios gignendi, qui mariti non sint: Naturale est enim ut eos, à quibus amari nos credimus, vicissim amemus & c. Hæc dicit. Autori relinquitur, mulieres à talibus abstinere jubentes, seqq. vers.

Ni fugias tactus, vix evitabitur actus,

Hos ergo vita, ne moriaris ita.

Quamvis ergo ita impudica conjux, suam impudicitiam, quoad dotis amissionem, impune ferat, eam tamen impunitam
non

non habet quoad causam divortii; hoc enim viro, adversus talem uxorem, ne admonitam quidem ab impudicitia desistentem, denegare, valde durum, acerbum, & injuriosum esset, ut de quotidianis jurgiis taceamus. Notandum tamen divortium hoc, à divortio ex causa adulterii facto, ratione effectus multum differre; per illud, ut majus malum evitetur, fit separatio tantum quoad thorum & mensam, per hoc vero, etiam quoad vinculum. Jus enim Divinum (loca vid. ap. C.I.A. tit. de divort. 8. 7. 8.) ex hac causa, & quidem sola, divortium concedens, intelligendum, non de inani vocabulo, sed re ipsa, seu tali liberatione, quæ vere divortium est. Dissentiunt Canonæ & Canonistæ, adeo, ut Synodus Tridentina sess. 24. sub rubr. doctrina de sacrament. matrim. c. 11. anathematis pœna feriat secus sentientes; Sed nostri, ut & Calvinistæ, nihilominus secus sentiunt. Tandem loco generalis prædictorum limitationis, sciendum, maritum ab uxore adultera, has civiles violatæ conjugalis honestatis pœnas, ita demum jure exigere, ni & ipse in conjugalem peccaverit honestatem:

Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.

sive, ut Christus Matth. 7. auferat trabem de proprio oculo, antequam damnet festucam in alieno. & Jctus in l. 13. §. 5. ad L. Iul. de adult. periniquum videtur ut vir ab uxore pudicitiam exigat, quam ipse non exhibeat. Constat enim mariti & uxoris impudicitiam quoad evitandas civiles puta bonorum & divortii pœnas, compensari, l. 39. ff. solut. matrim. ubi Civilist. c. pen. X. de adult. ubi Canonist. l. 10. §. 2. de compensat. l. 36. de dol. l. 3. §. 3. de eo per quem &c. & consequenter adulteram, virum adulterum adversus eam civiliter agentem, exceptione submovere posse, & ita paris delicti compensatione uti. Abbas in c. 1. X. ut lit. non contest. Covarr. de Sponsal. part. 2. c. 7. §. 6. n. 5. Tholosan. Syntag. lib. 9. cap. 23. n. 15. facit ad rem, quod Paul. de Castr. notat in consil. 128. quod scil. quando maritus concubinam teneat, uxor adulterium committens, dotem non perdat, quia, ut dicit. paria delicta, mutua tolluntur compensatione. Hæc de honestatis, cum servatæ, tum violatæ, juribus, honestas mulieres concernentibus.

XXX. Pergamus nunc ad honestatis jura, in inhonestis mulie-



mulieribus constituta : Ut honestarum mulierum tres sunt species, Virgines, Viduæ, Conjugatæ, ita quoque inhonestarum fœminarum seu extra fœdus conjugii coeuntium (de quibus solis hîc aliquid dicemus) tria sunt genera, quæ exhibet Berm. Chouver, *de public. concubinar.* (reperitur tractatum Juris. tom XI. P. I.) *verb. concubinã dimittat. n. 1.* ubi tradit, quod alia appelletur concubina, alia meretrix, alia focaria seu fornicaria, & quod dispositio loquens de una, aliam non comprehendat, tam propter nominum diversitatem, (vid. l. 7. C. de Codicill.) quam quia odia sunt restringenda. Idem *eod. num. fin. in fin.* abunde explicato, quæ concubina, quæ meretrix dicatur, de focaria, nihil aliud subdit, quam hoc : Canones Clericorum concubinas, focarias seu fornicarias mulieres appellant, congruit Germanicum *Pfaffenföchin.*

XXXI. Nos de singulis singulatim, sed breviter, (nimis enim diu honestæ mulieres, ut digniores, nos occupatos tenuerunt) & primò de concubina, cui inter inhonestas mulieres, primum (non quidem ob inhonestatem, sed affinitatem, quam cum honestis fœminis, in specie conjugatis, vid. l. 49. §. 4. de leg. 3. l. 144. de V. S. habent) locum damus. Concubina à concumbendo dicta, proprie, in specie accepta, est mulier, quæ uxoris loco sine nuptiis in domo est. d. l. 144. de V. S. Hebræis *Pillegesch*, unde Græci suum *παιλαξ*, sive *παιλακίς*, Latini *pellex*, mutuati sunt, dicta : confer. Magnificus D. Rehan. *Hodog Jur. pag. 131. & 2. C. I. A. de concubin. §. 2. in fin. Wesenb. parat. eod. n. 2. pr.* Hanc jure inter inhonestas referri mulieres constat ex hoc, quod in inhonesto vivat statu; quamvis enim simplex & proprie sumptus concubinatus (inter eos tantum, inter quos matrimonium contrahi & subsistere potest, consistens, per loca à C. I. A. d. tit. & §. vers. *Consistebat & c.* & Dn. D. Bicc. in C. I. A. *Enucleat. dict. tit. §. 2. circ. pr. allegata*) licitus sit, non quidem, quod salva pietate, & officiorum regulis fieri possit, (absit enim ut eum licitum dicamus, si licitum absque peccati labe intelligamus) sed quod ap. homines (ab iis ad evitandam majorem luxuriam toleratus) pœnæ non subjaceat, (licitum ita Grot. de I. B. & P. lib. 3. c. 4. n. 2. *dividit*) tamen, quia honestati contrarius est, bonosque mores aperte

aperte offendit, ut aperte ostendit Imp. Leo (quem non ut Imperatorem seu Legislatorem, sed ut Philosophum sequimur) in Nov. 91. junct. Nov. 89. cujus verba hinc adscribi merentur: *Nihil inter cœlibatum & matrimonium, quod reprehendi non debeat, medium invenias. Conjugalis vitæ desiderio teneris? Conjugij leges serves necesse est. Displicent matrimonij molestia? Cœlebs vivas, neque matrimonium adulteres, neque falso cœlibatus nomine culpam prætexas: negari non potest, quod turpis sit, quodque in eo viventes, in inhonesto vivant statu, adeoque merito aliquam turpitudinis notam incurrant, quemadmodum & eos inter turpes personas refert Aymon consil. 229. pr. Et ob hanc adhærentem maculam concubinatus hodie improbatus, repudiatus est: quo vero jure? disputent Doctores: Nos fidelissimi nostri Hodogetæ, Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, undiquaque Celeberrimi Viri, Dn. Joh. Rebhan: vestigia sequentes, dicimus hoc Semimatrimonium, non tam dictum constit. Imp. Leon. aut Jur. Can. quam moribus Ecclesiæ Christianæ emendatioribus, foro cedere jussum esse: addatur Inclytæ & longe lateque Celeberrimæ Patriæ Statutum tit. Von denen die zur Bræhe siken.*

XXXII. Cum ergo concubinæ, inhonestæ sint personæ, in iis, eo ipso, omnia, quæ de inhonestis personis jure traduntur, agnoscimus, quæ in specie multis recensere, operæ precamur, ne non entis qualitates aut jura notare videamur. Sublato enim concubinato, nullæ sunt concubinæ, nisi (quod Cujac. in Pap. lib. 8. Resp. in l. 16. §. 1. de his quæ ut indigni. & lib. 31. quest. in l. 14. d. r. & §. Obs. 6. in fin. notat) in montanis quibusdam regionibus, nec ulli naturales, proprie dicti: Filii enim quos Magnates etiam non conjugati, ex suis servitricibus habent, revera nihil aliud sunt, quam spurii. Alciat. de præsumpt. regul. 2. præsumpt. §. n. 6. Ludovic. de Sard. tr. de natural. lib. part. 1. c. de concubin. Surd. de aliment. tit. 1. quest. 9. n. 17. Palæot. de noth. & spur. c. 12. n. 2. in fin. utcunque ingeniosa hominum malitia, turpes suas libidines, commentitiis nominibus, ceu ficuum foliis, velare satagens, eis lenius, & mollius tribuat nomen. Hæc hinc de concubinis.

XXXIII. Eamus nunc ad focarias, sic dictas à foco, quasi

amarii sui foco assidentes, eumque colentes. Pratei, in *Lexic. Jur. hac voc.* Gothofr. ad l. 12. §. 6. de *instruct. vel instrum. legat. verb. focaria.* Hæ sunt vel militum, vel Clericorum, illæ dicuntur *Soldatenföchin/ hæ Pfaffenföchin/* de illis prius; Militum concubinæ, ut ab aliis concubinis, speciale nomen *Focariarum* scil. sortitæ sunt, l. 2. C. de *donat. int. vir. & ux.* l. 3. C. de *condit. insert.* ita & speciale jus. Quamvis enim pagani concubinis suis & inter vivos donare, l. 5. l. 31. ff. de *donat.* l. 3. §. 1. l. 58. pr. ff. de *donat. int. vir. & ux.* & ultima voluntate, olim in infinitum, hodie ad certum modum *vid. nov. 89. c. 12. §. 2. relinquere possint.* l. 29. l. 41. §. 5. l. 49. §. 4. de *leg. 3. Palat. in repet. rubr. de donat. int. vir. & ux.* §. 37. n. 1. Bermund. Chouver. de *public. concubinar. verb. concubinam dimittat.* n. 14. & duob. seqq. C. I. A. de *concupin. 8. 5. pr.* neutrum tamen militi, in suam licet *focariam*: Nec enim ei vel inter vivos donare potest, per l. 2. C. de *donat. int. vir. & uxor.* ibique scriptam rationem, (quæ proxime accedit eam, quæ donationes inter conjuges prohibet, de qua in l. 1. 2. 3. ff. de *donat. int. vir. & ux.*) vel ultima voluntate relinquere. Quamvis enim scripta in d. l. 2. ratio, solummodo donationes, non etiam testamentaria relicta, determinet, communis tamen sententia, idem in his, æque probat, tum arg. l. 41. §. 1. de *testam. milit.* l. 14. de *his, quæ ut indign.* ubi Gloss. Angel. & Dd. communiter, Bart. Paul. in l. 31. de *donat.* n. 2. cum ex ratione generali, qua scil. concubinæ militum, aliis odiosiores sunt, tanquam Reipubl. perniciosiores, quantum enim istiusmodi hominum genus castris & exercitui afferat damnum, bene noverunt Romani, de quibus Lipsius, *lib. 5. de milit. Rom. dialog. 18.* testatur, quod focarias mulieres ab exercitu submoverint, quod tamen Vigorin. non de perpetuâ expulsionem accipit, sed tantummodo de temporali, brevi, & pugnam prævia; olim, (inquit Vigorin.) *antequam pugnaretur, per tempus aliquod, fornicariæ campo expellebantur, ut milites ad pugnandum fortiores, audaciores sint*: add. Bermund. Chouver. de *public. concubin. verb. contra prædictos.* num. 18. ubi præter hanc tres alias assignat rationes. C. I. A. *tit. de testam. milit. 8. 13. n. 2.* ubi eam, quæ mortis militis tempore, jam antea à concubinato illius resipuerat, excipit, ob hoc ipsum, quod tempo-

14.

+

[]

tempore mortis testatoris talis inveniatur, ut à milite institui potuerit. l. 13. §. 2. de testam. milit. diserte consentit gloss. in d. l. 41. §. 1. ubi explicato textu subdit. *Item hoc, nisi tempore mortis, bonæ opinionis erat absque suspicione.* Tandem notandum inter vivos donata, & ultima voluntate relicta, hoc interesse, quod illa, ipse donatarius (sed contra jura communia, quibus, ubi dantis turpitudine versatur, repetitio cessat, per jura vulgata. vid. l. 4. §. 3. ff. de condict. ob turp. caus. cum similib.) repetat. per text. d. l. 2. ibi. *eam tibi restitui jubebit*; hæc vero fiscus, ut ab indignâ ablata, capiat. d. l. 14. de his, quæ ut indign. Paul. in d. l. 31. de donat. n. 2. C. I. A. tit. de his, quæ ut indign. §. 3. n. 13. ubi tamen d. l. 14. de alia muliere accipit, quam de qua communiter accipiunt Dd. Hæc limitant, quando donatio remuneratoria est, ut probatis meritis valeat intra eorum æstimationem. Paul. in d. l. 31. n. 2. Aymon. conf. 229. Palat. in dict. rubr. §. 39. n. 13. Peretz. in Cod. lib. 8. tit. 54. n. 11. in fin.

XXXIV. AN HÆC IN TERRESTRIS MILITIÆ MILITE CONCUBINARIO CONSTITUTA, ÆQUE IN COELESTIS MILITIÆ MILITE, PUTA CLERICO, CONCUBINARIO PROCEDANT, UT NEC AB EO CONCUBINÆ SUÆ DONATA, VEL TESTAMENTO RELICTA VALEANT? Doctores vi illius præsuppositi, quod à milite armato valeat argumentum ad clericum, de quo vid. Everard. in topic. loc. à milite armata militia ad militem coelestis militia. § 6. unanimiter affirmant; ita tradunt Bartol. in d. l. 41. §. 1. de testam. milit. n. 4. & in d. l. 14. & in l. 5. ff. de donat. & in l. 6. ff. de re judic. n. 4. Paul. in d. l. 31. de donat. n. 2. Aymon. conf. 229. Palat. in dict. rubr. de donat. int. vir. & ux. §. 39. n. 1. Gamel. decis. 226. n. 4. versic. *Fallit & secundò.* Nos quoad testamentaria relicta, à partibus communis stamus, dicentes nec ea, quæ clericus concubinæ suæ testamento relinquit, valere, sed cum testamentariis à milite relictis, eandem pati fortunam, ita ut quemadmodum hæc, ut indignæ personæ relicta, fisco applicantur, *juxta tradita* §. præced. ita quoque illa, ratio enim seu odium concubinitus in armato milite militans, in clerico æquè, imò magis, militat: concubinitus enim in clerico longe odibilior est, quam in milite; & si armatum à muliere

Here abstinere oportet, ut ad pugnam fortior, audacior sit. *juxt. 8. prox.* quanto magis castum esse oportet, qui cœlestem profitetur militiam, qui eo ipso, quo turpem quærit concubitus, hosti succumbit? quid quod eum clerico concumbens gravius delinquat, quam cum milite delinquens, cum hoc enim simplex concubitus, cum illo vero, majus committitur delictum, (AN VERO HOC PRÆTER SIMPLICEM FORNICATIONEM, ALIA SECUM INVOLVAT FLAGITIA? Anxie disputent Doctores, vid. Berm. Chouver. *d. public. concubinar. in præfat. n. 23.* ubi scribit & probare contendit sacerdotem fornicando incidere in adulterium, stuprum, incestum, sacrilegium & peccatum contra naturam, refert & sequitur Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 5. cas. 418. num. 71. cum seqq.* nobis placet, quod clerici fornicatio, etsi ut simplex, attempta mulieris, cum qua committitur, persona reputetur, tamen, tam propter ipsius clerici personam, Deo dicatam, quam propter aliorum scandalum, grave crimen sit) unde merito ei ab eo relictum, ut indignæ relictum, auferendum, sicut à milite relictum auferitur, *d. l. 14. de his, quæ ut indign.* Secus quoad donationes intervivos factas. Si enim quoad has quoque, clericum & militem comparemus, tum dicendum erit, etiam illum, donationem suam, in concubinam factam repetere posse? *arg. d. l. 2. at vero,* quam inhonesta, & indecora propriæ turpitudinis ex hac causa allegatio sit in ore illius qui quotidie canit: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam:* nemo non videt, quamvis enim illud Apost. *ad Ephes. 5. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos,* generale sit omnes concernens, ad eos tamen vel maxime pertinet, qui in sortem Domini vocati sunt, & inde suum habent nomen, *c. 1. dist. 21.* Nec est, cur dicatur, militem in hac repetitionis specie audiri, *arg. d. l. 2.* siquidem respondetur non tam turpe esse militi armato, concubinam habuisse, ac id palam asserere, quam clerico, quem ex instituto vitæ, castitatem servare, eamque aliis vitæ suæ exemplo prædicare decet, *ut infr. dicetur.* Tantum de focariis.

XXXV. Tertium, & quidem turpissimum, inhonestum

rum mulierum genus, sunt meretrices. Meretrix à merendo (mereri proprie est stipendium facere, lucri gratia aliquid operari. Vall lib. 3. elegantiar. cap. 110. adde illud Ezechiel. 16. Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum. Factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus suis) dicta, est, quæ palam se prostituit, siue autem illud in lupanari, siue extra illud, siue quæstu, siue sine eo fiat, hæctenus non refert. per l. 43. pr. §. 1. 2. 3. de Rit. Nupt. junct. l. 22. C. de adult. c. meretrices. 32. q. 4. c. 16. dist. 34. ubi definitur, quæ multorum libidini patet. Quot vero, ut egregio hoc nomine gaudeat, admisisse debeat, inter Dd. non convenit. Mascard. de probat. conclus. 1066. n. 17. eam probat sententiam, quæ ad minimum tres à muliere admissos requirit, sequuntur Farinac. in prax. crim. tom. 4. tit. de delict. carnal. quest. 136. n. 85. Gregor. Tholos. syntagm. jur. lib. 2. c. 2. n. 3. ubi scribit, sufficere ad convincendam meretricem, quod cum tribus se commiscuerit. Nos cum hæc res lege definita non sit, eam judici definiendam relinquimus per l. 1. §. ult. de Iur. delib.

XXXVI. Hoc, inquam, tam turpe mulierum genus l. 3. si à parent. quis manum. l. 43. §. 4. de Rit. nupt. ad evitanda majora constuprationum, adulteriorum aliaque luxuriæ mala, terrena civitas (ut ait August. de civit. Dei lib. 14. c. 18.) licitum fecit, adeò, ut in nonnullis Christianæ Reipubl. locis, hujus generis mulieribus, certa loca (nullatenus tamen prope honestiora, vel sacra loca, puta Basilicas, vel templa, constituenda, arg. l. 4. C. de spectac. Nov. 14. præfat. pr. ibi. & (quod deterius est, ubi Gothofr.) juxta sacratissima loca &c.) deputata sint, à lupa (quo nomine olim meretrices veniebant, ob voracitatem ne, an ab illa Accalaurentia, Faustuli, regii pecoris magistri, conjuge, ob vulgatum corpus, à pastoribus & vicinis, lupa dicta, in medio relinquimus, cum utrumque inconditum non sit; hoc dicimus ab hac Accalaurentia Romulum & Remum alitos esse, indeque forte famam percrebuisse, eos à lupa enutritos fuisse. Liv. sub. init. libr. 1. Aymar. Rivall. de histor. Jur. Civ. lib. 1. cap. 1. n. 4. qui tradit eos à vera lupa primum,

F

deinde

1514.

4.



deinde à nominata Accalaurent. enutritos fuisse) lupanaria dicta: Occurrit hinc quæstio. AN QUIS DOMUM MERETRICI LOCANDO PECCET. Dd. distinguunt an domus in lupanari sita sit, an vero extra illud: priori casu peccare locantem negant, posteriori affirmant. Ita Azor *instit. moral. lib. 12. c. 18. q. 3. tom. 2.* Ludov. Lopetz. *in instructor. negotiant. lib. 2. c. 28.* Molin. *tom. de contract. disp. 500. num. 3.* Rebell. *de Oblig. lib. 14. q. 17. n. 8.* Nos, eum qui sciens prudens meretrici domum quocumque tandem locorum sitam, ad turpissimæ vitæ exercitium locat, peccare putamus, *arg. c. 1. de Usur. in 6.* ubi ædes nostras ad rem illicitam, puta fœnus, inibi faciendam, locare prohibemur, & quod huiusmodi locator, conductricis peccatum juvet cooperando, jam vero fieri non potest, ut quis absque peccato, ad alterius peccatum cooperetur, ut in materia scandali tradunt communiter.

XXXVII. Inter honestatis jura, adversus meretrices in specie lata; est hoc quoque, quod in lupanaribus, utpote deputato eis loco, habitare teneantur; adeo, ut alibi, licet in domo propria degentes, à vicinia expelli possint. Chassan. *in consuetud. Burg. rubric. 4. §. 5. in pr. n. 58.* idque (ut dict.) honestatis causa, ne sc. vicini inhonesta earum conversatione scandalizentur, atque ita etiam eorum honesti mores corrumpantur: corrumpunt enim bonos mores consortia prava. Ita præter citat: Chassan. tenent unanimiter. Rip. *tract. de peste. part. 3. de remed. preservativ. n. 144.* Covarruv. *de Sponsalib. part. 2. c. 8. §. 11. n. 5.* Gregor. Tholosan. *syntagm. jur. lib. 4. cap. 24. n. 10. & lib. 10. c. 2. n. 37.* Vincent. de Franch. *decis. 316.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 78. n. 11. & casu 328. n. 14. & cas. 535. n. 16.* Gothofr. *in not. ad l. 4. C. de spectacul. lit. b.* Cagnol. *ad l. 197. de R. l. n. 3. & 4. Dec. ad d. l. n. 4.* An hæc meretricis è vicinia expulsio, etiam procedat in ea, quæ sui copiam, alicui, non quidem quæstus gratia, sed amore illius capta, facit? Mascard. *de probat. conclus. 1066. n. 8.* secutus Menoch. *de arbitr. dict. cas. 328. n. 14.* negat, quia hæc, meretrix non est, & consequenter etiam meretricum pœnis non subjacet. Verum, quia & hæc extra fœdus matrimoniale corporis sui copiam non coacta facit, & propterea vere inhonesta est, & consequen-

quenter inter honestas personas non collocanda per d. l. 4. C. de spectac. (quem text. ad rem satis notabilem vocat Chassan. d. l. n. 54.) Bald. in Auth. si quas ruinas. n. 3. C. de SS. Eccles. non veremur hanc, cum illa, in hoc expulsionis puncto, ad paria vocare, præsertim quod expulsiva illius ratio scandalum scilicet vicinorum, etiam adversus hanc militet. Et hanc sententiam probant Paul. in l. 2. n. 5. C. de Sum. Trinit. Dec. in l. 197. de R. I. n. 4. Vincent. de Franch. d. decis. 316. Gomez. tom. 3. variar. cap. 6. n. fin.

XXXVIII. An expulsio in soluta inter honestos inhonestè vivente, probata, etiam in conjugata probanda sit Doctores disputant, vid. Menoch. de arbitr. cas. 535. n. 10. Rebuff. in l. 144. de V. S. Covarruv. pract. cap. 7. num. 2. Nos, quia ratio solutam expellens etiam adversus conjugatam militat, hanc, cum illa, expellimus, favore matrimonii, & conjugali concordia (quæ duo ex adverso urgentur) non obstantibus, quia res hæc, magna ex parte utilitatem singulorum respiciunt, adeoque in expulsionem, re publicam utilitatem concernente, non attendendæ, quæ enim communiter omnibus profunt, iis quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponimus. Nov. 39. cap. 1. Et hæc juxta citatos indubiè, si maritus turpitudinis uxoris conscius sit, veluti si leno sit. Sed quid circa eam, cujus turpitudinem maritus ignorat, quod forte in longinquis absit, aut in furore sit. Et quia conjugata, cujus vir furiosus est, pro non conjugata habetur, (vidua enim dicitur illa quoque, quæ virum habet inutilem, gloss. in l. fin. verb. orbitates. C. ad L. Fab. de plagiar.) ideo cum ea, si honeste non vivat, ut cum innupta inhonesta, quoad expulsionem, agendum putamus. Si vero vir absit, modò eum adhuc vivere constet, toleranda mulier erit, propter matrimonii favorem, honorem.

XXXIX. Inter matronalem & meretricalem habitum, olim quandam fuisse distinctionem, & ex Sacris vid. Genes. 38. c. 14. ubi Thamar, ea, quæ fuit, à Juda ex habitu judicata est, & ex profanis constat, vid. l. 15. §. 15. ff. de injur. ubi plurib. Gothofr. jung. Tertull. lib. de cultu. Sed an meretrix, peculiari habitu, aut alio signo, quo ab honestis discernatur matronis, incedere, atque ita turpitudinem suam publice profiteri, cogi debeat?

1514.

4.

ED
15.
11

debeat? Nos negamus, cum quod hoc, inter cætera in meretrices notæ & pœnæ causa constituta, nullibi appareat, tum maxime, quod hoc publice scandalosum sit, quantum enim scandalum, saltem interius, etiam ap. honestos, honestasque, quotidianus impudicarum fœminarum aspectus causetur, experientia testatur, itemque vulgati versus:

*Cum spectant laesos oculi, leduntur & ipsi;
Multaque corporibus transiione nocent.*

Contrarium tenent communiter, vid. Bald. in l. mima. 4. C. de Episcop. aud. Dec. in l. 197. de R. I. n. 4. Hieronym. Cagnol. in d. l. 197. num. 3. & 4. Berm. Chouv. de public. concubin. rubr. de stupr. n. 32. Gregor. syntagm. lur. lib. 10. c. 2. n. 38. Menoch. de arbitr. cent. 6. cas. 535. n. 18. ubi adhuc alios laudat.

XL. Sicquamvis aliàs qui certum vitæ genus professus est, operam illius petentibus, etiam invitus eam impertiri cogatur, exemplo Advocati, Medici, notarii, cauponis, qui omnes, omnibus ex officio inservire debent. l. 7. C. de postul. l. 6. C. de advocat. divers. judic. l. 10. §. 1. de edend. ibique gl. verb. non ab similes l. un. §. ult. furt. advers. naut. caup. Gothofr. in not. ad l. 156. lit. S. Cagnol. ad d. l. n. 1. 2. 3. Dec. ibid. Felin. in rubric. de testib. cog. Ang. in d. l. un. §. ult. C. I. A. de fid. instrum. θ. 4. circ. med. meretrix tamen etiam in publico lupanario vivens, atque ita satis profitens, se corpus suum omnibus commune facere, invita, ad rem inhonestam cogi non potest, idque iterum jure honestatis: Covarruv. lib. 3. var. c. 14. n. 2. Menoch. de arbitr. cent. 6. cas. 535. n. 29. Farinac. in prax. crimin. tit. de delict. carnal. quest. 145. n. 188. ubi addit, tali mulieri vim inferentem, arbitrio judicis extraordinaria plectendum esse pœna. Dissent. Dec. in d. l. 156. sed, judicio Gothofr. turpissime, & contra omnem juris & æqui artem.

XLI. An, quod supr. θ. 37. de meretrice etiam è domo propria per honestos vicinos expellenda, dictum est, etiam in aliis locum habeat, ut ob vitæ turpitudinem vicinis scandalosam, è domo propria ac honesta vicinia expelli possint, non adeo expeditum est. Movet dubitationem, quod quisque re sua etiam male uti possit. l. 21. C. mandat. junct. l. 25. §. 11. l. 31. §. 3. de hered. petit. Verum ob publicam utilitatem (cujus ma-

xime

xime interest, mores civium non corrumpi) utpote momentosiorem (tuetur enim totius populi salutem, quæ suprema lex est, & ad quam, velut ultimum scopum, omnes LL. Plato refert) utilitati singulorum anteferendam. Nov. 39. c. 1. Nov. 7. c. 9. §. 1. l. 3. C. de primipil. 12. 63. fatius est vicinum, per cuius inhonestos mores, vicinia depravari posset, etiam cum illius damno (quod suæ turpitudini imputet) de propria domo expelli, quam cum periculo honestatis aliorum, in vicinia pati, non obstante allata dubitandi ratione, ut quæ de regula loquitur, noster autem casus de exceptione, quæ fundata est in honestate, cuius causa, cum (ut jam dict.) publici commodi & favoris sit, merito etiam aliquam meretur prærogativam: add. Nov. 14. §. 1. vers. Si quis autem, & c. ubi in domo sua lenociniū exercens, præter pecuniariam pœnam, de qua ibi, etiam habitatione privatur, quod an de privatione usus, an vero proprietatis accipiendum sit, disquirat glos. in l. 27. §. 1. verb. percepta sint de H. P. Hæc de juribus honestatis quoad fœminas tam honestas, quam inhonestas.

XLII. Nunc ad jura honestatis Masculorum. Antequam hæc tradantur, nonnulla hîc (loco forte non incommodo) de fœminis, à masculis, honestatis causa, separandis, interseramus; nam & hanc in rem honestati suum jus esse, nemo negaverit. Sic quamvis aliàs, ubi alimenta ex dispositione legis debentur, eorum debitor, ea, extra proprium domum non debeat, ut notant ad l. 4. §. fin. de alim. & cibariis leg. vid. Barbof. in l. 2. solut. matrim. part. 1. n. 27. & seq. quando tamen alenda persona, alimentorum debitori, sine bonorum morum periculo cohabitare non possit, tum honestatis causa & favore alimenta illi, etiam seorsim agenti, præstanda sunt, facta tamen operarum, quas ex necessitate legis alendus, alenti debet, compensatione. Idem eod. Ex hoc generali principio, inferunt & colligunt ad specialia, verb. gr. quod vidua ex dispositione legis, quando scil. vel ventre non vacua (Jct. loquitur in l. 84. de A. v. O. H.) relicta est: l. 5. de ventr. in possess. mitt. Surd. de aliment. tit. 1. quest. 44. n. 51. vel quando inops est, i. e. unde alatur, non habeat, auth. præterea. C. und. vir & ux. ab hæredibus mariti alenda. Amplissimus, Nobiliss. & Consultiss. Dn.

1514.

4.

D



Johan. Melch. Sachs, Jctus & Professor Argentinenf. Celeberrimus, Patronus noster honoratissimus in Disput. de Alim. θ. 23. Surd. & Barbof. *loc. prox. citatis*; quando eorum cohabitatio illius honestati invidiari possit, habitare cum illis non teneatur, imò ne volens quidem possit, *arg. l. 7. de us. & habit. add. Speculat. lib. 4. tit. qui filij sint legit. n. 30. Menoch. de arbitr. lib. 2. c. 170. n. 12. Barbof. d. l. qui ponunt exemplum in extraneis heredibus, à quibus pudicitia lædi posset. Et hæc procedunt, etiamsi testator, uxori alimenta, sub expressa, ea in domo mariti percipiendi, conditione reliquerit; quamvis enim aliàs alimentorum legatarius, ea, in loco in eorum legato adjecto, percipere teneatur, arg. l. 50. de judic. vid. C. I. A. lib. 34. tit. 1. θ. 13. n. 16. Menoch. de arbitr. jud. 2. cas. 270. n. 7. & 12. & seqq. & præsumpt. 200. num. 10. limitatur tamen, si alimentarius in adjecto loco honestæ manere non possit; (quod arbitrio judicis, qui ex personarum qualitate facile judicaturus est, an verisimiliter futuræ turpitudinis suspicio subsit, dijudicandum relinquit Menoch. d. cas. 170.) tunc enim spreta loci adjectione, alibi præstabuntur, ut notant Bartol. in l. Gajo Sejo. 13. §. Imperator. 1. n. 2. de alim. & cibariis. leg. Bald. in l. 1. n. 9. & 10. C. de legat. ubi in vidua pulchra, cui alimenta, sub conditione cum heredibus (præsertim extraneis) morandi, legata sunt, loquens, scribit conditionem, ut turpem, remittendam esse, licet heredes boni & honesti sint, quia (inquit) habere malum nomen & malam famam (quæ duo simultaneam maris & fœminæ cohabitationem, non raro sequuntur) turpe est. Et quam periculosa domestica maris & fœminæ conversatio (quæ etiam cautos aggreditur, non raro quoque ingreditur) sit, satis testatur vitium carnis nostræ, cum qua periculosius certamen est, quam cum diabolo; huic enim resistere, illud fugere jubent Principes Apostolor. vid. Paul. 1. ad Corinth. 6. Petr. 1. c. 5. nisi quis forte dixerit, diabolum, utpote nos omni studio insequentem, circuit enim nos, sicut leo rugiens, quarens quem devoret evitari non posse, & consequenter ei necessario resistendum esse, cum contra certamen carnis vitari possit, vitato periculo.*

XLIII. Ad eandem maris & foeminae, conservandae honestatis causa, separationem, quoque pertinet, quod notavit Mutius Surgens in annotationibus ad fratrem Martin. Anton. Surg. libr. de Neapol. illustr. ubi tradit, virgines, viduas, conjugatas, quarum vir absens est, ab onere hospitii der *Einquartierung*/ eximendas esse, sed haecenus tantummodo, ut eas bene quidem a personis domo recipiendis honestas excuset, at non a pecuniaria contributione, hospitii causa indicta, quae ex patrimonio, cujus onus hospitium est. l. 3. §. 14. ff. de munerib. & honor. l. 3. C. de munerib. patrim. 10. 41. salvo & illaeso honestatis jure penditur & pendi potest. Quæritur hinc, an utilitatem honestati præferens, & receptionem personae potius, quam pecuniae contributionem eligens, audienda sit quasi proprio favori renuncians. l. pen. C. de pact. Negatur, quamvis enim exemptio hospitii, aliquod privilegium sit per l. fin. §. fin. ff. d. r. non tamen est privilegium ipsius mulieris, sed honestatis; (datur enim mulieri, non personae illius causa, sed propter honestatem) unde nec in illud, utpote jus alienum, quicquam juris habet, per jura vulgata. Facit l. 7. de us. & hab. (textus ad rem non impertinens) ubi traditur domus usufructuaria etiam invitam, hospitem, qui cum ea honeste habitaturus non sit, recipere non posse; certe non ob aliam rationem, quam quod publicum honestatis jus, potius sit jure privato, ut jam supr. §. 41. dictum. Imo ne quidem talis, quae inhoneste, aut etiam meretricio more vivit, ad receptionem hospitis, vel invita cogi, vel volens admitti debet, ne scil. novae turpitudinis occasio detur. Nec obst. privilegium honestatis causa concessum, (quale, hæc solutarum ab hospite recipiendo immunitas est,) per inhonestum vivendi modum amitti, generale siquidem est, quemque ejus rei, in quam delinquit, privilegium amittere. l. 37. in fin. de minor. respondetur enim mulieri hospitii immunitatem competere, non propter honestatem illius, quod scil. honesta persona sit, sed propter inhonestatem ipsam, ne sc. in eam peccetur.

XLIV. Effet hinc occasio, aliquid de foeminis coenaculariam exercentibus, dicendi, sed manum de tabula movet rei odium. Progrediamur ergo ad alia, ubi in primo statim progressu,

1514.

4.

gressu, nobis occurrit, quod de puellis, etsi 12. annis minores sint in scholis puerorum non edocendis, notavit Hispan. Munnotz de Escobar, *tr. de rationib. c. 27. n. 39.* ubi inquit, satis indecorum & inverecundum esse, pueros simul cum puellis immisceri, cum & in minoribus 12. & 14. annis, luxuria ad generandum sufficiens vigere possit, exempla masculorum, qui impuberes, mulieres imprægnaverunt, abunde videre licet ap. Tiraq. *lib. 6. connubial. n. 37.* Coral. *Miscellan. lib. 6. cap. 23. n. 4.* ubi historia, inquit, prodit Salomonem, nondum decem annos natum, complexu suo, nutricem, filio Roboam, gravidam fecisse, & Achatz in undecimo anno filium Ezechiã genuisse, add. Hieronym. *in p. 2. epistol. ad Vitalem presbyter.* In fœminis sane, (in quibus acceleratio est gignendi facultas) hoc frequentius est. vid. Busqueq. *in epistol. Turcic.* ubi de Colchis refert, quod apud eos, fœminæ 10. annorum quotidie pariant.

XLV. Ex eadem radice pullulavit quoque illud Vett. Romanorum institutum, quo maribus, nocturnis illis mulierum sacrificiis, quæ quotannis ex L. 12. tabb. *Nocturna mulierum sacrificia ne sunt, præter illa, quæ pro populo rite fient: pro salute Populi, Bonæ Deæ in ædibus Pontificis Max.* (ut aqud Plutarch. *in vit. Tullij & Cesar.* legitur) fiebant, interesse fas non erat, sub crimine pollutorum sacrorum. Verum, postquam exemplo Clodii, qui Pompeiam Augustam amans, ædes Pontificis ubi sacra agebantur, veste muliebri ingressus, & ob id de pollutis sacris accusatus est, itemque aliis inconuenientis expertum fuerit, ne sic quidem illis sacrificiis honestati satis consultum esse, (nocte nimiam peccandi occasionem præbente) tandem plane abrogata sunt: Lex (inquit Cic.) nocturna mulierum sacrificia tollit, ut ipsarum famam, clara lux multorum oculis custodiret. Hanc nocturnorum sacrificiorum Ethnicorum, ut honestati suspectorum, abrogationem, imitata est Ecclesia Rom. dum abrogatis illis Sanctorum vigiliis, in earum locum, sacra jejunia, quæ nomine rei, in cuius locum surrogata sunt, retento, vigiliæ Sanctorum appellantur. Rem totam Bapt. Mant. his exprimit versibus.

Id quo-

Id quoque, (nam scitu locus est dignissimus) addam,
 Quod nostri in templis aravi vigilare solebant,
 Excubiasque pati, solennia mane sequenti
 Festa recepturi; morem nova sustulit ætas.
 Nam, quia nox sceleri solet esse occasio, & illud.
 Observant, qui furta volunt committere, tempus
 Iejunare diem, visum est sapientius, illam
 Quæ præit, & clauso noctem dormire cubili.

XLVI. Porro ad eandem maris & fœminæ, honestatis
 causa separationem, quoque pertinet, quod de mulierum à
 viris, tam in templo, quam in via ad illud, discretionem, ex mo-
 re Judæorum tradit Joseph. de bell. iud. lib. 6. c. 6. cujus verba
 refert Cardin. Baron. *Annal. Ecclesiast. tom. 1.* Ex quibus, inquit,
 probe intelligi potest, tam in ingressu templi, quam etiam intra tem-
 plum, & portis diversis, & parietibus interpositis, mulieres à viris
 fuisse distinctas: porro: puerulos innocentes, de quibus nulla posset
 esse peccati suspicio, matres sequi, si vellent, non erat vetitum,
 quibus etiam liberum esset, si voluissent, magis patribus inherere:
 Idem testatur Beda. in *Luc. c. 2.* ubi ita: Apud Iudæos fuit consue-
 tudo, ut ad festa venientes, vel redeuntes in patriam, seorsim viri à
 mulierib. choros ducentes incederent: Atque ex hac, aut illa causa
 perditum pueri Jesu occasionem fuisse, quorundam est opinio;
 sed Baron. *loc. citat.* eam non probat aliâ assignatâ. Add. Petr.
 Canis. *Jesuit. lib. 2. de Mar. Virgin. c. 13.* ubi ex Chrylost. *homil.*
 74. in *Matth.* idem, & multa alia notatu digna ex Sanctis PP. &
 Ecclesiæ Doctoribus ad propositum refert. Antiquæ hujus
 marium & fœminarum in templis separationis, adhuc hodie
 extant vestigia. Sic Romæ mares & fœminæ, statis illis indul-
 gentiarum diebus, unde stationum nomen usurpatum, ad pre-
 ces Deo effundendas indulgentiarum causa in eodem templo
 non conveniunt, sed distincti masculis & fœminis in unum-
 quodque stationum templum dies sunt. Item apud Lusita-
 nos in templis aliquibus, præsertim cœnobarum, mulieres
 à maribus dividuntur ligneo pariete interjecto, ita ut invicem
 non videantur, dum deputato sedent loco; idem Neapoli in-
 terpositis inter utrosque linteis, aut simili quopiâ impedimen-
 to, passim observari testatur Anton. Sargent. *de Neapol. illustr.*
 lib. I.

1014.

4.

lib. 1. cap. 9. n. 27. Idem adhuc hodie Norimbergæ in æde D. Ægidio sacra obtinet.

XLVII. Ex eadem honestatis ratione, monasteria puel-
larum longius à monasteriis monachorum collocentur. *c. mo-
nasteria. 23. caus. 18. q. 2.* nec ullo in loco, monachi & mona-
chæ permittantur unum habitare monasterium. *can. preced.
dict. caus. & quest.* quia scandalum id & offendiculum multis
efficitur. *c. definimus. 21. d. c. & q. add. c. perniciosam. 25. eod. ubi
in fin.* Canonista prohibet, ne sanctimoniales simul cum cano-
nicis aut monachis in uno choro conveniant ad psallendum.
fac. c. 8. X. de vit. & honest. Cleric. Cum etiam publica spe-
ctacula, publicæ lætitiæ causa celebranda, ita reddenda sint,
ut honestas servetur, & verecundia castis moribus perseveret,
ex *L. 12. tabb. Ludi publici in Deorum honorem, hominumque de-
lectationem instituti, modeste fiant; & l. un. C. de majum. 11. 45.*
facile quis nobis persuaserit, in istis histrionum & comœdias
agentium theatris, maribus & fœminis, distincta loca depu-
tanda esse, idque iterum ne quodvis offendiculum honestas
pateretur; quantum enim periculum, non raro etiam ruinam
honestas subeat, per promiscuam utriusque sexus illis in locis
sessionem, præsertim cum amatoriz fabulæ agantur, illisque
mulieres personatum agentes intersint, res ipsa loquitur. Ei
tamen, qui talem tulerit legem, proculdubio ab utriusque se-
xus personis eveniet, quod contigit L. Roscio Othoni. Hic
Consul legem tulit, ut in teatro equitibus Romanis, Ordi-
nes quatuordecim spectandi gratia darentur; sed hoc plebi
displicuit, se enim per hanc legem ignominia affici existima-
vit, cum hætenus in theatris equites plebi commixti essent,
unde tantisper adversus Othon. in spectaculum prodeuntem,
equitibus eum læto plausu susipientibus, contumeliose sibila
dedit, dum à Cicerone in fano Bellonæ increpata fuerit ob in-
solentiam. Tandem silentio prætereunda non est illa Inclyti
Inclytæ Patriæ Magistratus constitutio, qua promiscuam illam
marium & fœminarum in balneis sessionem, olim obtinentem
sustulit, deputato cuique sexui distincto loco, indubie solius
honestatis causa.

XLVIII. Nunc ad Jura Honestatis masculorum, ubi
iterum

iterum ab honestioribus, & in quibus major requiritur honestas, incipiamus. Primum personarum, in quibus egregia desideratur honestas, sunt Egregii, h. e. Clerici. Quamvis enim illud Apostoli præceptum. *Omnia in vobis fiant decenter & secundum ordinem*: generale sit ad omnes pertinens, ad illos tamen vel maxime pertinet, qui præ cæteris in sortem domini vocati sunt, & inde nomen suum habent, *vid. c. clericos 1. dist. 21. pr.* quibusve dicitur *1. ad Corinth. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*: unde Sacerdotum tam excellens est electio, ut, quæ in aliis membris Ecclesiæ vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita. *c. 1. dist. 32. add. tot. tit. X. de vit. & honest. Cleric. Nov. 6. præfat.* In quibus autem hujus electi ac dilecti hominum generis, honestas consistat, prope infinita sunt, nos unum atque alterum recensebimus. Quoniam autem Clericorum honestas, cohabitatione mulierum non raro decoloratur. *l. 19. C. de Episcop. & Cleric. tot. tit. X. de cohabit. cleric. & mulier.* ideo, quomodo circa hanc, ut honestas illæsa servetur, se gerere debeant, primo videbimus loco. In hac re honestati suæ Clerici optime consuluerint, si caveant, ne decolorentur consortio sororiæ appellationis (solebant quondam Clerici concubinas suas appellare matres, sorores, filias, ut propudia sua, his pieratis nominibus, obtegerent, *vid. Hieronym. in libr. ad Rusticum Monach. de vivend. form. & in libr. de vitand. suspect. contubern.*) sed refamiliari exigente, intra domuum suarum septa (ut *Imp. in d. l. 19. loquitur*) eas inprimis fœminas contineant, de quibus quid sævi criminis suspicari, fœdus naturale, vel alia probabilis causa, puta senium ætatis, non permittit. *c. 9. X. de cohabit. clericor. & mulier. c. 16. dist. 32.*

XLIX. Sic ratione habitus tam corporis, quam vestimentorum, Clerico, honestatis ratione nonnulla observanda veniunt. Ad habitum corporis refero, quod i. debeant habere coronam & tonsuram congruentem, i. e. secundum ordinem & religionem suam. *c. 15. X. de vit. & honest. Cleric.* Dicitur autem corona, quam habent de capillis circa caput in signum regni, quod à Deo expectant; rasura vero sive abrasio capitis, designat (utinam & afferat) de positionem omnium

214.

temporalium. 2. quod comam nutrire non debeant. c. 5. 7. X. eod. Ad vestimentorum honestatem pertinet, ne coloratis vestibus utantur. c. ult. caus. 21. q. 4. ut clausa deferant indumenta nimia brevitatem vel longitudinem non notanda. c. 15. X. de vit. & honest. cleric. Sunt adhuc plura alia, quæ Clericum decent, vid. Hostiensem & Canonistas communiter ad tit. X. de vit. & honest. Cleric. sed nos ea contrahamus in summam, quod scilicet Clericus imprimis Sacerdos in omnibus sui corporis membris, à capitis vertice usque ad pedis plantam, honestatem ostendere debeat, ita ut honestatis exemplum aliis sit, & honestatem ipsam præ se ferat habitu, gestu, incessu, sermone atque tota vitæ conversatione, per tot. tit. in primis c. 15. X. de vit. & honest. Cler. Speculat. in rept. eod. tit. add. c. ult. dist. 40. in med. ibi. Sacerdos bene vivat, & bene doceat. Nam bene vivendo & bene docendo, populum instruit, quomodo vivere debeat, bene autem docendo, & male vivendo dominum instruit, quomodo eum condemnare debeat.

L. Secundum personarum, in quibus quædam excellens requiritur honestas, genus, sunt nobiles & illustres personæ. Has enim honestæ vitæ præceptum, arctius cæteris ligat, noverint (inquit dist. 40. in fin. pr.) se ex status sui prærogativa, non peccandi licentiam, sed bene vivendi necessitatem assecutos esse. Et ut excellentium personarum virtutes, ob agentis dignitatem præstantiores, ob bonum aliorum exemplum fructuosiores sunt: in quem sensum D. Ambrosius interpretatur, illud sponsæ ad sponsum in cantic. canticor. c. 1. *Trabe me post te curremus in odorem unguentorum* quasi dicat si trahis me, post te curram, nec tamen sola curram, sed aliarum simul mecum, ego quidem allecta odore unguentorum tuorum, illæ exemplo meo excitata; in hunc quoque sensum, illud Regii Vatis Psalm. 50. *Docebo vias tuas* intelligunt de doctrina exemplari, quæ populi Principes & Reges maxime decet & in subditos operosius agit juxta illud Claudian.

————— *Tunc observantior equi
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Authorem parere sibi &c.*

Et paulo post

Compo.

Componitur orbis

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Ita per contrarium earum vitia & majora sunt, juxta illud
Juvenal. Satyr. 8.

Omne animi vitium, tanto conspectius in se

Crimen habet, quanto, qui peccat, major habetur.

jung. c. 5. dist. 40. c. ult. dist. 4. & pejora, ob inferioris ordinis
hominum scandalum; unde probabile est, parvulum illum,
quem David ex adulterio suscepit, immatura morte, non forte,
sed forte sublatum fuisse, ad subditorum sc. scandalum in præ-
eminenti regis persona auferendum. Sublimium enim per-
sonarum virtutes & vitia, inferioris ordinis hominibus, non
alia remagis quam per exemplum communicantur.

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

LI. Honestate ita in genere, præ eminentibus personis
commendatâ, nunc videamus in specie, quæ honestatis causa
in illis constituta sint. Præ eminentes personas dividamus in
Clericos (de quibus modò) & Laicos. Hos subdividimus in
nobiles & illustres; nobiles, in armatos, & togatos, ad quos
referimus Doctores, illustres in tales vel gradu primo, vel gra-
du summo, qui dicuntur Illustrissimi. Esset ut de singulis sin-
gulatim ageretur, sed res nostra hac vice non patitur. Ne ta-
men quoad ea muti videamur, unum & alterum, quod in Illu-
stribus, honestatis causa constitutum est, proferemus. Inter cæ-
tera, quæ ob honestatem in Hisce constituta sunt, duo præci-
pue notant Dd. PRIMUM est, quod illegitime nati ad eorum
dignitatem non admittantur. arg. l. 2. C. de dignit. licet etiam
ex illustri patre sint, ut communiter notant in c. ult. de presby-
ter. fil. non. ordin. in tantum ut licet Papa vel Princeps, cum il-
legitime ex illustri persona nato dispenset, dispensatio tamen
utpote in totius familiæ injuriam tendens, & publicæ utilitati,
cujus maxime interest ut ordinum & familiarum dignitas sal-
va sit. l. 1. §. 13. de ventr. inspici. adversans non teneat, ne inde
injuriarum nascatur actio, unde jura nasci convenit. l. 6. C. und.
vi. Hinc est quod Impp. aliâs in communicando Legitimitati-
onis Jure Clementissimi, semper tamen filios Principum, Co-

G 3

mitum,

1514.

+

mitum, Baronum & Nobilium personarum excipiant, (exce-
ptione forte non necessaria, quia & sine hac, Comites Pala-
tini absque speciali concessione, laudatorum spurios legiti-
mare non possunt, Nobilium enim spuriorum ad nobilitatem
legitimationis est ex Reservatis. Ergo generali concessione con-
cessa non intelligitur *arg. c. 2. de Pœnit. in 6. l. 6. ff. de pignorib. &
hypoth.*) quia difficilius cum illis dispensatur, Bartol. *in l. 17.
§. 4. n. 1. ad Sct. Trebell.* Imperator enim illegitimam nobilium
sobolem magis abhorret, Caccialup. *in repet. l. 5. C. ad Sct. Or-
fit.* SECUNDUM respicit materiam successionis. Quamvis
enim aliâs filii spurii matri suæ, æque ac legitimi, conjuncti
sint. §. 4. I. *de Succes. cognat.* & consequenter pariter cum illis
maternæ hereditatis capaces, §. 2. *de Sct. Orphit. ibiq; gloss. verb.
hereditatem. l. 2. vers. itaque. l. 8. ff. und. cognat. l. 1. §. 2. ad Sct.
Tertull.* in tantum, ut etiam inique præteriti, testamentum in-
officiosum dicere possint. *l. 29. §. 1. ff. de inoff. testam. ubi gloss.
& Dd. modo ex damnato & punibili coitu, puta adulterio, vel
incestu, non sint; hos enim jura etiam Canonica adeo exosos
habent, ut eos, liberorum nomine, omnis parentum substan-
tiæ beneficio, imò etiam alimentis (quoad hæc tamen Praxis à
Theoria recedit) indignos judicent & declarent. l. 6. C. de in-
cest. nupt. Auth. ex complexu. C. d. t. Nov. 89. c. ult. Nov. 12. c. 1.
gloss. in §. 4. I. de Succes. cognat. §. 3. verb. admitti. I. de Sct. Orphit.
l. 5. verb. cum legitimis. C. eod. add. Magnific. Nobilis. Amplis.
Consultis. Dn. Rebhan. Jctus, Com. Palat. Jurid. Facult. An-
tecessor Senior in Hodog. *jur. chart. 2. clim. 3. 8. 64.* Treutler. 2.
D. 16. 3. lit. G. ibiq; Bachov. Forster. *de Succes. 6. c. 11.* Palæot. *de
spur. c. 38. n. 7. & c. 42. n. 10.* Ludov. de Sard. *tr. de Natural.
liber. part. 3. §. de Succes. spur. p. 3.* In spuria tamen matris il-
lustris sobole Imp. successionis jus hæcenus restrinxit, ut licet
ex non accusabili coitu suscepta, tamen matri suæ, justis libe-
ris ei existentibus, nullatenus succederet. *l. 5. C. ad Sct. Orfit.*
cum in ingenuis & illustribus mulieribus, (quibus castitatis
observatio præcipuum debitum est) nominari spurios satis
injuriousum satis acerbum sit. Hæc de Honestatis jure quo-
ad utriusque sexus personas, earumque statum.*

Pote-

Poterant elegantius & concinnius scribi. quis negat? sed quid si ego non potui? ingenii ista culpa est, non voluntatis.

Benevole Lector hanc particularem debiti, quod supr. §. 10. in fin. fecimus, solutionem, humane accipias, eâ, qua decet, observantia rogo. Plura solvere res nostra hac vice passa non est, licebit forsan aliquando delineationem tractationis sequi, minus bene posita corrigere, reliquum solvere. Interim Deo Ter. Opt. Max. pro immensa sua bonitate, & ad præsentem operam benignissime concessa gratia devotissimas ago gratias, Eidemque Rempublicam, Ecclesiam, Scholam, meæque ulteriora studia quam devotissime commendo.

Præcellenti Dn. Candidato
JOHANNI-CAROLO GOLIO,
 Affini Honoratissimo, pro summis in utroque Jure
 Honoribus Doctoralibus ritè consequendis
 Disputaturo, &c.

Utilitatis amor nimius non curat honestum,
 Turpia si fuerint, utilitate placent.
 Vulgus honestatem spernit, nisi commoda multa
 Sperari possint, turpia stultus amat.
 Ast sunt abjecta mentis, animoque vacillant,
 Qui turpes querunt utilitatis opes.
 De meliore luto sinxit præcordia Titan
 His, qui conjungunt utile honesta simul:
 Vitale nec quicquam credunt, quod non sit honestum,
 Sique honor abfuerit, commoda nulla sequi.
 Hæc Tu GOLLIADÆ, Patriæ spes atque Parentum,
 Monstras exemplò firmiter Ipse Tuò.
 Nam Tua mens rapitur quò prævia ducit Honestas,
 Tu, quæstus turpes longius ire jubes.
 Producis Legum cumulos è Corpore Juris,
 Complures species, innumerosque casus;
 In quibus ostendis turpi præcellere honestum,
 Nec turpi, in Juris Legibus, esse locum.

(Solus)

*Sola etenim firmum cunctis substernit honestas
 Legibus en fulcrum, turpe suapte ruit.
 Lex Legi apparet contraria, & una vicissim
 Lex quoque dissensu militat ac variat;
 Dispicit Interpres Legum, quid fas & honestum,
 Turpia mox removet, stat Honor at solidus:
 Pravalet is sensus semper quem tradit Honestas,
 Turpia nec possunt Legis habere vicem.)
 Perchare Affinis, cœpto sic tramite perge,
 Te studium & pietas altius ire jubent.
 Te stimulet Virtutis amor, Te Nomen Avitum;
 Virtus Honorque Tibi commoda multa dabunt:
 Percipies tandem dulces meritosque Laborum
 Fructus, post pugnam premia digna feres.
 Purpuream alma Themis Capiti conferre Tiaram
 Decrevit, Doctis Te annumeratque Viris.
 Tu Patria posthac, poteris & sanguine junctis,
 Pluribus ac alijs utilis esse bonis.
 Gratulor ex animo - SVMMVS TE SERVET IOVAH!
 Rectoris ex imo, VIVE, VALEQVE, precor.*

Sic accinit gratulabundus

M. Johannes Scheuring,
 Ecclesiæ Thomanae
 Diaconus.

F I N I S.



P R O O E M I U M.

PRæceptorum, quibus tota civilis Philosophia clauditur, Respublica sapienter regitur, communis hominum societas sanctissime colitur, quibusve tres illi, mortalibus à natura tributi, affectus, libido videlicet, ira & cupiditas, certissimæ humani generis pestes, coercentur, tria sunt. §. 3. l. 10. §. 1. ff. de lust. & Jur. Primo jubemur vivere honeste, i. e. temperate, caste, verecunde, uno verbo, ut Cicero 3. de finib. interpretatur, cum virtute, ut ne quid libidinosè, incontinenter, vitiosè, indecore faciamus, sed omnino virtuti, quoad ejus fieri poterit, congruenter vivamus, non tam quod nobis fortasse summo jure licet, quam quod ex usu, moribusq; patriis honestum est, respicientes, l. 42. de Rit. Nupt. l. 197. l. 144. de R. I. Fugatur libido, & omnis turpitude, si vivitur honeste, honestas enim, quæ socia virtutis, materq; condecenciæ est, semper cum vitiis pugnat. Cicer. 3. Offic. Altero alterum lædere prohibemur; cum enim cognationem quandam natura inter homines constituerit, hominem homini insidiari, & ut Plaut. in Asinar. dicebat, lupum esse, nefas est, imò contra naturam, & ultra feritatem, nam &

*Tigris agit rapida cum tigride pacem:
Parcit cognatis maculis fera.*

hominis quippe proprium est, hominem beneficio afficere, & ita quasi Dei vice fungi, qui enim benefacit, ei, cui prodest, Deus extitisse dicitur, Cicero de nat. Deor. 1. & Deum esse, nihil aliud putavit antiquitas, quam mortalibus prodesse: Unde & eos, pro Diis habuit, & venerata est, qui ad vitæ commoditatem nonni-

A hil



hil attulissent, adeo, ut & bruta, imò etiã inanima quæ-
 dã corpora, ex tali causa pro Diis coluerit, adoraverit,
 Plutarch. *in Camill. Liv. lib. 5.* Extinguuntur contentio-
 num irarumq; flãmæ, si nemo læditur. Postremo suum
 cuiq; tribuere monemur, ita tamen ut si duobus quid
 præstandum sit, ei potius præstetur, cujus ratio æquior
 & petitio justior est, *l. 31. ff. depos. l. 61. §. 5. de furt. jung. Cic.*
3. Off. Refrænatur cupiditas, si suum cuiq; tribuatur, nec
 proximi utilitates & commoda, emolumentum nostri
 gratia, ad nos traducamus; Docemur (inquit Cicer. *1.*
de Orator.) autoritate nutuque legum, domitas habere
 libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab
 alienis mentes, oculos, manus abstinere. Ex hisce
 tribus præceptis, omnis (ut dict.) virtutis, universæ
 justitiæ, totius vitæ Politicæ generalibus ac capitalibus
 principiis & fundamentis ab ipsa natura jactis vid. Cla-
 riss. Dn. Theophilus Golius, quondam in inçlyta hac
 Universitate Ethic. & Politic. Professor, Proavus à pro-
 nepote gratâ memoria hinc laudandus, *lib. 5 Ethic. cap. 7.*
quest. 3. primum loco Thematibus Inauguralibus, impetrata
 Ejus Rei, ab Inçlyto Inçlytæ Facultatis Collegio, licen-
 tia, tractandũ placuit, ob materiæ cum jucunditatem,
 omne enim honestum est delectabile. D. Thomas *1. q. 5.*
art. 6. tum publicam utilitatem, magis enim Reipubl.
 honestatis conservatio expedit, quam populi ex corru-
 ptis moribus procedens multiplicatio. Bald. *in Auth.*
cui relictum C. de indict. vid. toll. tum denique quod hanc
 ratione hinc inde dispersa honestatis jura colligi (quod
 primariò intendimus) possint. Tu, qui potentia Maxi-
 mus, bonitate Optimus es, Spiritu tuo, qui Sanctus est,
 nos illumina, nostra cogitata, dicta, facta ita dirige, ne
 ab honesto devient: Ita vovemus, ita precamur.

THESIS

Strassburg, Diss., 1665-66

ULB Halle 3
003 745 031



f

TA → OL

nur 5 Bisher verknüpft

WOM

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



MAXIMUS, BONITATE
VERTAT.

JURIDICA
ALIS,

ESTATIS

NS,

1665,3

THORITATE

LISSIMI, AM-

COLLEGII, IN
ERSITATE

*onoribus & Privile-
giis.*

amini subicit

LUS GOLIUS,

ensis.


Jan.
Decembr.



RATI,

S WELPERI

C. LXV.



19 10. Brest...

